BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 B
17

17

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 B
17
17
Digitized by Google

Digitized by Google

ELOGIA ILLVSTRIVM BELGII SCRIPTORVM,

Qui vel Eccleſiam Dei propugnarunt, vel diſciplinas illuſtrarunt.

CENTVRIA

Decadibus diſtincta.

Ex Bibliotheca AVBERTI MIRÆI Canonici Antverp.



BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ

SVMPTIBVS VIDVÆ ET HEREDVM IOANNIS BELLERI, ſub inſigni Aquilæ aureæ, Anno 1602.

Digitized by Google

PATRIÆ PARENTI MAIORI
AMICIS ERVDITIS
POSTERITATIQ.
NAVATAM HANC OPERAM
PIET. BENEVOL. AC STVDIO
AVBERT. MIRÆVS BRVXELL.
LIB. MER.
D. D.

ANTVERPIÆ ADVATICORVM
KAL. IANVAR. CIↃ. IↃCII.

Digitized by Google

Candido Lectori.

NON me fugit, Lector, in hoc ſcriptionis genere, varia mihi iudicia parata; partim eorum, qui præteritos nonnullos querentur, partim aliorum, quibus leue hoc omne videbitur, quod in ſat notis, vt iactant, laudatiſq; laudandis à nobis eſt præſtitum. Vtriſq; breuiter faciam ſatis. Primis quidem. non Pandecten me, ſed Centuriam dare, & eorum quidem potiſſimùm, qui, vt foribus appēſus titulus indicat, Eccleſiam Dei propugnarũt, non oppugnarunt. Alteris, qui ſe his non indigere vt notis prædicant, Lucilij illud apud M. Tullium & C. Plinium Secundum oppono: Perſium non curo legere, Lælium Decimum volo; non Scipioni aut Rutilio, ſed Tarentinis, & Conſentinis & Siculis ſcribo. *In exterorum gratiam, vt, quod res eſt, dicam, hic potiſſimùm labor exhauſtus eſt, qui vel Belgium bellis inteſtinis heu nimis attritum non attigerunt, vel ignari vt ignotum terræ angulum,* extremos hominum Morinos, *faſtidiunt. Sed & futuros aliquos ſuſpicor, qui me ad alia ſtudia vocent; genus hoc ſcribendi, etſi ſit elegans, perſonæ tamen & profeſſionis meæ eſſe negent. At verò ſi delectamur ijs quæ ſcribimus, quis eſt tam inuidus, qui ab eis nos abducat? Sin laboramus, quis eſt tam impudens, qui alienæ modum ſtatuat induſtriæ? Vt tamen & his curioſis reſpondea-*

mus; memoria quæſo repetant priſcos illos Eccleſiæ Patres, Hieronymum, Gennadium, Gregorios, Iſidorum, Honorium, Ildefonſum, Photium, Sigebertum, Henricum Gandauenſem, ceteros, quorum veſtigiis inſiſtere ſummæ nobis laudi ducimus, in hac ipſa palæſtra verſatos, clara aui ſui ingenia celebraſſe.

Quorum exemplo & patrum memoria Ioan. Tritthemius, & P. Iouius illuſtres ſui ſæculi Scriptores litteris conſignarunt; & ſingulatim Ligures ſuos Vbertus Folieta, Hiſpanos Ferd. Mattamorus, Britannos Guil. Lilius, Germanos Corn. Callidius, Friſios Suffr. Petrus, & Gallos nuper Scæuola Sammarthanus prædicarunt. Nec antiquitas ab hoc genere ſcripti abhorruit. Nam domi militiæq; illuſtrium cùm Græcorum tum Romanorum vitas Plutarchus comparauit; AEmilius Probus, ſeu potiùs Cornelius Nepos Imperatorum Græciæ, Philoſophorum Laërtius Diogenes, Sophiſtarum Philoſtratus atque Eunapius, Rhetorum verò ac Litteratorum vitas Suetonius collegerũt. De viuis porrò altum mihi ſilentium; cùm ne quem nimis aut minùs laudaſſe, gratiámve captaſſe viderer, tum quòd ingenij ſui monumenta identidem augeant, mutent, ac poliant. Et verò, vt ille ait, felix

——— Diciq́ue beatus
Ante obitum nemo, ſupremaq; funera debet.

Epitaphia è ſepulcretis fide bona deſcripta idcirco repræſentaui, quòd Hiſtoriæ materiam ſuppeditent, fidemq; in immenſum augeãt. Si quid autem amici candidè nobiſcum communicabunt, (quis enim vnus mortaliũ vitas norit omnium?) equidem dabo operam, vt apud memorem poſitum beneficium appareat. Vale Lector, & faue.

Sylla-

Syllabus eorum, quorum opera ſcriptíſve vſi ſumus.

ABrahamus Ortelius.
AEgidius Mannius.
Andreas Alciatus.
Andreas Reſendius.
Andreas Schottus.
Auguſtinus Le Mire.

Benedictus Arias Mõtanus.

Chriſtianus Maſſæus.
Cornelius Callidius.

Engelbertus Desboiſius.
Federicus Iamotius.
Ferreolus Locrius.
Franciſcus Guicciardinus.
Franciſcus Svvertius.

Georgius Coluenerius.
Gerardus Corſelius.
Gilbertus Cognatus.
Guilielmus Gazæus.

Hadrianus Hecquetius.
Hadrianus Iunius.
Hadrianus à Marſelare.
Hadrianus Turnebus.
Hubertus Audeiantius.

Iacobus Dambouderius.
Iacobus Marchantius.
Iacobus Meyerus.
Iacobus Molanus.
Iacobus Sluperius.
Ianus Lernutius.
Ioannes Bapt. Saccus.
Ioannes Bernartius.
Ioannes Bochius.
Ioannes Geuartius.
Ioannes Latomus.
Ioannes Metellus.
Ioannes Molanus.
Ioannes Secundus.
Ioannes Theuetus.
Ioannes Tritthemius.
Iudocus Badius.
Iuſtus Lipſius.

Leuinus Torrentius.
Leonardus Micaultius.
Lucas Opmerus.
Lucas VVingardus.

Martinus Hamconius.
Maximilianus Vrintius.
Melchior Guilandinus.
Michaël Ophouius.

Nicolaus Clenardus.

Nicolaus Grudius.
Nicolaus Micaultius.
Nicolaus Oudartus.

Onuphrius Panuinius.

Papirius Maſſonus.
Paullus Iouius.
Petrus Baccherius.
Petrus Bizarrus.
Petrus Nannius.
Philippus Meyerus.

Pontus Heuterus.

Reginaldus Polus.

Scæuola Sammarthanus.
Suffridus Petrus.

Theodoricus Loërius.

Vbertus Folieta.
Vibrandus Auſkema.
Victor Giſelinus.

In Auberti Miræi R. V. Elogia Belgica Scazon I. Lipsi I.

MIRÆ E *docte, qui facis meos Belgas,*
Ætate, ſiue incuriâ tenebroſos
Noſtrâ, nitere rurſus atque ſplendere:
Qui ſingulorum patriam, atque natales
Animiq; dotes, ſcripta, & ingenI fructus
Signas peritè, & acrimoniâ mentis:
Quid tibi reponent pro laboribus Belgæ?
Tituli hunc honorem, Lux Mirȩe Belgarũ.

Galliæ

Digitized by Google

Galliæ Belgicæ Typus in exterorum gratiam.

GALLIA Belgica, ſeu Germania inferior prouinciis hodie (nam de antiquis terminis diſſerere non eſt huius inſtituti) ſeptemdecim continetur. Sunt in his

DVCATVS
Brabantiæ,
Limburgi,
Luxemburgi,
Geldriæ.
COMITATVS
Flandriæ,
Arteſiæ,
Hannoniæ,
Hollandiæ,
Zelandiæ,
Namurci,
Zutphaniæ.
DOMINIA
S.Imp.Marchionatus,
Friſiæ,
Machliniæ,
Vltraiecti,
Tranſiſalaniæ,
Groningæ.

Quarum prouinciarum ius ditionemque, vnà cum Burgundiæ Comitatu, PHILIPPVS II. Hiſpaniarum Indiarumque Rex Catholicus prid. Non. May CIↃ.IↃXCIIX. ceſſit ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ filiæ, quæ poſtea in manum conuenit ALBERTO Archiduci Auſtrio. Sunt autem in his Prouinciis, Lud. Guicciardino teſte, Vrbes muris, aggeribus, foſſiſve cinctæ CCVIII. & Pagi ſexies mille trecenti, præter Arces innumerabiles.

DECAS I.

Antiſtites Belgæ Scriptores.

HADRIANVS VI. Pont. Max.

Antonius Perenottus Cardinalis Grá-
uellanus.

Epiſcopi Antverpienſes.

Franciſcus Sonnius.

Læuinus Torrentius.

Epiſcopi Gandauenſes.

Cornelius Ianſenius.

Guilielmus Lindanus.

Franciſcus Richardotus Epiſc. Atrebat.

Cunerus Petrus Epiſc. Leouardienſis.

PaullusMiddelburg. Epiſç. Foroſempr.

Iacobus Pamelius Epiſcopus Audo-
maropolitanus deſignatus.

Hadria-

Hadrianus Sextus Pont. Max.

VNDE potiùs ordiar, quàm ab Vrbis & Orbis capite HADRIANO SEXTO? qui eò magis ſuſpiciendus, quòd nullo maiorum ſplendore commendatus, ſuis dumtaxat meritis ad ſummum illud ac diuinum in terris ſolium conſcenderit. Is natus Vltraiecti ad Rhenum fl. ante Pontificatum, HADRIANVS FLORENTII, parentis nomine, gentis Batauæ more, cognominatus, cùm maioris Theologorum apud Louanienſes Collegij alumnus ſacris ſe ſtudijs totum conſecraſſet, eos in doctrina & virtute progreſſus fecit, vt Academiæ Cancellarius (qui primus ac perpetuus magiſtratus eſt) omnium ſuffragiis renuntiaretur. Scripſitque id temporis, vt eius æui genius erat, *Quæſtiones Quodlibeticas XII. & in Librum IV. Magiſtri Sententiarum Quæſtiones*, variis in locis identidem excuſas; quarum & hodie magna apud Theologos auctoritas. Non id fugit Maximilianum I. Cæſarem, (ſolet enim per ſe virtus exſiſtere) qui Caroli Quincti ſeptennis adhuc ſtudiis eum præfecit. Quibus decurſis HADRIANVS in Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem verè Catholicum ampliſsimo legationis munere mittitur. A quo virtutis ergô Dertuſanus Epiſcopus; deinde à Leone x. Cardinalis creatus, eâdem ſemper animi moderatione ſibi cõſtitit. Ferdinãdo vita functo

Carolus heres Franc. Ximenio Cardinali & Archiepiſcopo Toletano regni adminiſtrãdi ius demandat, addito in ſocietatem conſiliorũ HADRIANO. Pòſt eodem Carolo in aui Maximiliani locum ſuffecto, atque ex Hiſpania (quò paullò antè è Belgis venerat, vt regulos ac populos in ſua verba iuriſiurandi ſacramento adigeret) in Germaniam ad diadema cogitãte; HADRIANVS cum imperio toti Hiſpaniæ præficitur, Cæſare, ne prouinciam detrectaret, vrgente. Leone iam demortuo, nec opinatò & abſens, raro & inuſitato ſanè exemplo, Pontifex Maximus vndequadraginta Patrum purpuratorũ ſuffragiis creatur. In Vrbem vt venit, DIPLOMA mox APOSTOLICVM, quod in Tomo IV. Conciliorum videre eſt, ad Fredericũ Saxoniæ Ducem (cuius in ditione funeſti incendij fax Lutherus apoſtata graſſabatur) promulgauit, monuitq́ue vt veterum Saxonũ religionis memor, eam à gente ſua notam, peſtémq; depelleret. Dedit & EPISTOLAS ad Germanos proceres, vt priſtinam maiorum virtutem, fidemq́ue imitati, iunctis Turcam imminentem armis à finibus arcerent. Louanij quoque auguſtiſsimum Theologorum Collegium, PONTIFICIVM hinc dictum, quod hodieq́ue floret ingeniis & alumnis, exſtruendum curauit. Sic magna Catholicæ Eccleſiæ commoda agitantem; vt deprauatorum morum correctionem, ſectarum euerſionẽ, & Principum concordiam, Deus Opt. Max. quòd eo indignus Orbis eſſet, altero Pontificatus anno, humanis rebus exemit; feliciore ſanè ſæculo dignũ,

quòd

quòd *magni referat in quæ tempora vel optimi cuiuſq; virtus incidat.* Eiuſdem & illa vox eſt memorãda: *Nihil ſibi imperio infelicius in vita accidiſſe.* Plura cognoſcere qui volet, (velle autem omnes debent) legat is Paull. Iouium, Onuphr. Panuinium & Ger. Moringum Theologum Louanienſem. Iacuit primum duos inter Pios II. & III. in Vaticano, pòſt ad S. Mariam animæ, Germanorum, auguſto Mauſoleo conditus eſt hoc Elogio.

HADRIANVS VI. PONT. MAX. TRAIECTO INSIGNI INFERIORIS GERMANIAE VRBE ORIVNDVS DVM HVMANARVM RERVM MAXIME AVERSATVR SPLENDOREM VLTRO A PROCERIBVS OB INCOMPARABILEM SACRARVM DISCIPLINARVM SCIENTIAM AC PROPE DIVINAM CASTISSIMI ANIMI MODERATIONEM CAROLO V. CAESARI AVGVSTO PRAECEPTOR ECCLESIAE DERTVSENSI ANTISTES SACRI SENATVS PATRIBVS COLLEGA HISPANIARVM REGNIS PRAESES REIPVBL. DENIQVE CHRISTIANAE DIVINITVS PONTIFEX ABSENS ADSCITVS VIXIT ANN. LXIIII. MENSES VI. DIES XIII. DECESSIT XVIII. KAL. OCTOB. ANNO A PARTV VIRGINIS CIƆ. IƆXXIII. PONTIFICATVS SVI ANNO SECVNDO.

VVILHELMVS ENKEVOIRT ILLIVS BENIGNITATE ET AVSPICIIS TT. SS. IOANNIS ET PAVLLI PRESBYTER CARDINALIS ET DERTVSEN. EPISCOPVS FACIVNDVM CVR.

I. CON-

I. GONSALVI.

QVàm potes meritò, optimoq; iure,
Inter Pontifices Pios iacere,
Maxima pietatis HADRIANE?
Inſignis pietas tua HADRIANE
Viuenti tibi profuit, decúſque
Aurei diadematis parauit.
Iure id me hercle. At æquius, tuaq;
Certius pietatis hoc trophæum eſt,
Defunctus quòd honoribus tot, inter
Duos contigerit Pios iacere.

Antonius Perenottus.

CHRISTI in terris Vicarium ANTONIVS CARDINALIS GRANVELLANVS ſubſequatur; meritò his accenſendus, cuius è familia clariſsimi viri Richardoti, Morilloni, Lipſij, Ellebodij, Pighij, Suffridi, Bochij, aliiq́ue exſtiterunt; vt iure optimo æui ſui Mœcenas ſit appellatus. Is Veſontione Sequanorum metropoli, Nicolao patre, intimi conſilij apud Carolum V. Cæſarem Principe, natus, luſtratis pleriſque Academiis, etiamnum adoleſcens pondera imperij regnorumq; importuna ſenis patris humeris, vt Atlantis onus Hercules alter, piè gnauiterque excepit. Pòſt Carolo imperio ſponte ſe abdicante, atq; è Belgis in Hiſpaniam tanquam in portum vitæ tranquillioris ſecedente, AN-

TONIVS

TONIVS Atrebatiũ Antiſtes iam creatus, veluti fidus Achates Philippo filio additur. Inde virtutis merito à Pio IV. P. M. Cardinalium Senatui adſcriptus, primus Machlinienſium Archiepiſcopus renuntiatur. Rebus deinde in Belgio conſtitutis, cùm Philippus patris Auguſti exceſſu in Hiſpaniam reuocaretur, Margaritæ Auſtriæ ſorori regias vices ſubituræ publicarum curarum comes datur. Exorto poſtea funeſto ciuilique apud Belgas tumultu, inuidiæ cedēs in Burgundiam ſe contulit; indeq; mox à Rege Catholico in Hiſpaniam euocatus, perpetuò eidem carus, honoribus auctus eſt; vt in ANTONIO ornando contendiſſe cum patre filius videatur. Neapolitanis enim Proregis imperio præfuit anno ſæculari ſacro CIƆ.IƆ LXXV. quo & Carolum Cliuiæ Principem ad ſe venientem omni humanitatis genere eſt proſecutus. In Hiſpaniam reuocatus, dum in Luſitaniam expeditionem Rex ſuſcepiſſet, æquabili eam iure adminiſtrauit. Demum Archiepiſcopus Veſontionum creatus, ſeptuagenario maior deceſsit è vita Mantuæ Carpetanorum (Madritum hodie vocant) anno CIƆ. IƆLXXXV. XI. Kal. Octobris, quo die & Carolus V. Imp. olim vitæ laboribus eſt perfunctus.

Forma fuit heroica, atque imperio digna; ſumma etiam morum facilitate, & in eruditos ſingulari, dum vixit, liberalitate. Septem linguas ita calluit, vt ſingulas natiuas diceres; memoria tanta, vt alter quaſi Iulius Cæſar, quattuor ſæpe aut quinq; ſcribas de Reipubl. negotiis variis linguis dictādo, fatigaret. Amorem verò erga ſtudia

varia

varia teſtantur. Teſtatur in primis patria Veſontina Academia ab illo inſtaurata; quò & Richardotum, Balduinũ, aliosq; euocauit. Teſtantur tot doctorum hominum lucubrationes, ac ſcripta illi inſcripta.

IO. METELLI.

HOSPES. AVLICVS.

H. *Quis cubat hîc modica Magnus tellure ſepultus?*
A. GRANDIA *cui celſos* VELA *dabant titulos.*
H. *Cur pelagus vitæ ſulcans,* DVRATE *ſecundis*
Inquit? A. *Ne quondam nomina parta cadant;*
Clara illa imperio CARLI, *regnoq;* PHILIPPI,
Quorum conſiliis præfuit arte potens.
H. *Ergò manu clauum ſtrinxit? nauimq; gubernans*
DVRAVIT *fatis?* A. *Inſuperabilibus.*
H. *Atne diu?* A. *Decies ſeptenos vixit in annos;*
Sequaniciq; fuit gloria prima ſoli.
H. *Quo capitur portu?* A. *Cunctis qui meta laborum,*
Seu pueri, iuuenes, bis pueriue ſenes.
H. *Suffice Rex talem, dubiis qui* DVRET *in vndis,*
Quas fera Rex ſacris gens ciet, atque tibi.

Franciſcus Sonnius.

EPISCOPOS inter agmen ducat FRANC. SONNIVS, qui, ſi Platonis illud verum eſt, nomina rebus plerumque conuenire, Solis inſtar (cognomentũ inde cum patria mutuatus) verè SONNIVS radios longè lateq; diffudit. Is

enim à Ruardo Tappero ſuggeſtum Carolo V. Cæſ.tuendæ religionis maiorum conſiliũ perfecit, & Epiſcopos tanquam ſpeculatores paſtoreſque vigilantes per Belgium conſtituendi auctor & princeps exſtitit. Vt non ſine omine in Pontificio Collegio ab Hadriano VI. excitato, ſacras Louanij litteras hauſiſſe videatur. Mox ad D. Iacobum in eâdem vrbe vigili Parochus cura ſubditorum ſaluti incubuit. Doctoris laurea pòſt ornato Canonica apud Vltraiectinos in ſumma æde dignitas obtigit; Deo ſic ordinante, atque ad altiora viam ſternente. Cumque acerrimo eſſet ingenio, & eximia animi magnitudine, ad hæreſes clam è Germania Galliaque in Belgium ſerpentes reprimendas cùm ingenij neruos, tum actiones omnes contulit. Ingenij quidem ſpecimen exhibēt *Aurei Demonſtrationum Religionis Chriſtianæ ex Verbo Dei Libri III.* quibus nihil in eo genere doctius aut perfectius ætas noſtra vidit. Omitto quibus Caluinianam per Belgium in primo Iconomachorum tumultu anni illius ſæculi LXVI. ſparſam Confeſsionem iugulauit.

Actionibus verò ſic excelluit, vt qui Romæ apud Paullum III. res gereret de Epiſcopis per Belgium creãdis, idoneus magis repertus ſit nemo. Redux ipſe apud Siluiducenſes primùm annos IV. pòſt apud Antverpianos annos IX. Præſulem egit. Vir certè Epiſcopatu inſignis, (Magiſtratus enim vt ille ait, non tam facit quàm oſtẽdit virum) vt cui ad egregiam doctrinam, & præſtantem ſacrarum rerum ſcientiam, firma, quamquam puſillo in corpore, latera, & miram natura

addi-

addiderat eloquentiam. Celebris enim nominis Orator fuit; quique ſuaui quadam & ornata, eadémque graui orationis copia, & ad mouendum in primis apta, non modò vulgus & cœtus hominum teneret, atque ad officium compelleret, ſed doctiſsimorum quoq; aures mirificè impleret. Naturæ ſenex cōceſsit; ſibi quidem ſuo tempore, Reipub. verò, Eccleſiæq; Dei laboranti, & ſuæ in primis vrbi Antverpienſi nimis præproperè. Nos hoc illi Cenotaphium poſuimus.

D. O. M. S.

FRANCISCO SONNIO BRABANTINO
EX ACAD. LOVAN. DOCTORE THEOLOGO
PRIMVM SILVIDVC. POST ANTVERP. I. EPIS.
INVICTO IN HAERESES ATHLETAE
HIC SPE RESVRRECT. QVIESCENTI
COLLEG. CANON. ET S. P. Q. ANTVERP.
PARENT. OPT. LIB. MER. PON. CVR.
VIXIT ANNOS LX. OBIIT DAMNO PVBLICO
PRID. KAL. QVINCT. CIↃ. IↃLXXVI.
MORTALIS CVM SIS MORTVO
BENE PRECARE.

I. Fontani.

Vt vaga diſpellit Borealis nubila ventus,
Temporaq; exoriens Sol tenebroſa fugat:
SONNIVS *haud aliter ſectas, & dogmata praua*
Soluit, & in ventos cogit abire leues.

Læui-

Læuinus Torrentius.

EFFERANT Bembos, Pontanos, Flaminios Itali; attollant ceteri ſuos. Nos TORRENTIVM, vel ipſorũ Italorum iudicio, Lyrici carminis poſt Horatiũ principem laudemus; qui perennis perpetuique torrentis inſtar, ſacra carmina ad extremam vſque ætatem mira vbertate profudit. Sacra inquam, & Pio Quincto Pont. Max. cui inſcripſit argumenti pietate digniſsima. Lyricis enim verſibus *de partu Virginis* cum Iac. Sanazario de palma contendit, vt ſuo quiſque carminis genere doctorum hominum ſuffragiis in eiuſdem argumenti tractatione excelluiſſe videatur. Neque verò alienum ab Epiſcopi dignitate exiſtimandum, in Dei laudibus Poëticam adhibuiſſe, cùm & Paullus Gentium Doctor Hymnis & Canticis Deum celebrari iubeat; nec iam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ exempla defuerint. Quo in numero familiam ducunt Damaſus Pontifex, Nazianzenus, Damaſcenus, Paullinus, Alcimus, Fortunatus, Proſper, Sidonius, ceterique Præſules: vt interim omittam Prudentium, Aratorem, Iuuencum, Sedulium. LÆVINVS igitur Louanium ad litterarum & Iuriſprudentiæ ſtudia miſſus adoleſcens, vrbis illius, Martino Roſſemio Geldro-gallici exercitus Duce, obſidionem ſpectauit, & carmine Elegiaco luſit. Pòſt in Italiam diſciplinarum parentem cum duobus Iuniis fratribus Patriciis Antverpianis profectus; ſummo applauſu de iure

reſpondentes Bononię lauream ſunt adepti. Fratrum etiam alter Alexander, ob ingenij doctrinæque præſtantiam, mox Pontificij Prætorij Iudex eſt renuntiatus; ſed in ipſo curſu ante diem anno ætatis xxx. exſtinctus.

Torrentius à doctis hominibus colebatur, in his Io. Morono, Guil. Sirleto, Car. Borromæo Cardinalibus, Ant. Auguſtino, Oct. Panagatho, Hipp. Saluiano, Baſil. Zancho. Hipp. Capilupo, Laur. Gambara, Gabr. Faërno, P. Manutio, Ful. Vrſino, ceteris. In patriam reuerſus ab Euerardo à Marca Cardinale Eburonum Principe ad contubernium inuitatur, & ob ſingularem fidem opimo ſacerdotio donatur. Pòſt apud Ger. Groesbecium, & Ern. Bauarum ex ordine ſuccedentes non minùs gratia valens, Archidiaconus eſt Brabantinus creatus. Obitis autem variis legationibus à Philippo II. Rege verè Catholico, Fr. Sonnio humanis rebus exempto, Antverpienſibus Præſul datur. Antiquitatis erat in primis ſtudioſus, & in paucis peritus; cumque Romæ in luce doctorum hominum verſaretur, nummos veteres, ſigna, tabulas, libroſque calamo exaratos magna induſtria collegit. Iuris quoque antiqui gnarus; his præſidiis Hiſtoriam mirificè illuſtrauit, & Commentarium eruditum in *Suetonij Cæſares* iterum euulgauit. In *Horatium* volumen Annotationum pòſt Dionyſ. Lambinum, & alia ad Eccleſiã, remque publicam ac litterariam pertinentia apud heredes adhuc latent.

Marmo-

Marmoreus eius tumulus, quieſcentis habitu, viſitur Antuerpiæ in Cathedrali B. Virginis AEde hoc Elogio.

LAEVINVS TORRENTIVS PATRIA GANDAVENSIS LITTERIS ET LEGATIONIBVS DOMI FORISQVE SPECTATVS EX ARCHIDIACONO ET LEODIENSIS PRINCIPIS VICARIO GENERALI II. ANTVERPIENSIVM EPISCOPVS III. MACHLINIENSIVM ARCHIEPISCOPVS DESIGNATVS COLLEGII SOCIETATIS IESV APVD LOVANIENSES FVNDATOR AD RERVM STATVS BELGII CONCILIVM ASCITVS DVM PRAECIPITANTEM REMPVB. FRACTVS VIRIBVS ANIMO INFRACTO CONSILIIS SVSTENTO BRVXELLAE DECESSI VI. KAL. MAIVS CIↃ. IↃXCV.
VIXI A. LXX. M. I. D. XVIII.

Iac. Aulæi.

Virginis intactæ cecinisti carmine partum
A CTI *diuino proxime Virgilio.*
Ponè tuos ſequitur greſſus LÆVINVS. *Vtrique*
Auctori mentem mouit, & ora Deus.
Admirandi ambo. Lyricis hic verſibus, alter
Condidit Hexametris ſacra puerperij.

Cornelius Ianſenius.

QVOT, Deus immortalis, quantæque laudes CORNELII IANSENII nomen poſteritati clarum reddunt? Fuit enim in hoc viro præſtans ingenium, exacta linguarũ trium Latinæ, Græcæ & Hebraicæ cognitio, ſingularis prudentia, eximius rerum vſus, in primis verò ſummum religionis ac pietatis ſtudium. Hulſtano in oppido apud Flandros honeſtè natus, Louanij Caſtrenſi in Gymnaſio Philoſophica; dein ſacra ſtudia in maiori Theologorum Collegio ſumma animi contentione ſectatus eſt. Iis decurſis annos ipſos XII. in Tungerloënſi Præmonſtratenſium nobili Brabantiæ Abbatia Profeſſoris munere, totidemque Parochi apud Cortracenos in Flandria fungitur. Inde Louaniũ regreſſus, Doctoris laurea, & Decani ad S. Iacobum dignitate cohoneſtatur. Nemo ſanè doctrinam ſacram aut in ſcholis doctiùs interpretatus eſt, aut copioſiùs in concionibus explanauit, nemoque in animis ad virtutem inflammandis & à vitiis reuocandis, acrior aut ornatior orator fuit. Quo factum, vt ad ſacrũ Tridentinum Concilium, in quod ipſos omnis doctrinæ & ſapientiæ Antiſtites ex tota Europa conueniſſe ſcimus, à Rege Catholico Philippo II. Michaële Baio & Ioanne Heſſelio collegis, miſſus, tam excellenti de ſe iudicio abundè reſponderit. Mox à reditu, peſtiferæ doctrinæ lue in Flandria ſerpente primus Gandauenſium Antiſtes

tiſtes

tiſtes conſtituitur, vt piorum dogmatum oppugnatoribus acer veritatis propugnator opponeretur. Quantus porrò Theologus fuerit, clamant doctiſsimi in *Concordiam ſuam Euangelicam orbis iudicio probatam Commentarij*; qui & æquales aliquot, in his Salmeronem & Beauxamum in eâdem arena deſudantes, à ſuis tunc edendis deterruerunt. Senio laboribuſque confectus moritur Gandaui, CIↃ. IↃLXXVI. III. Idus April. vel hoc nomine beatus, quòd iterum exortum in Belgio Caluiniſticum furorem non viderit. Eius ad tumulum hos verſiculos cecinit Max. Vrintius S.P.Q. Gandauenſi à Secretis.

EST tumulus ſacer hic, procul hinc, procul impie abeſto,
Et ſacra depoſiti ne quate membra Viri.
Si neſcis, iacet hoc tumulo compoſtus, auitæ
Nuper qui fidei murus ahenus erat.
Hîc vera pietatis apex, & regula recti,
Hîc ſacri textus HARMONIA *vna iacet.*
An ſatis hoc? Patriam-ne manes vt & inſuper addam?
Et decora & titulis nomina fulta ſuis?
Hîc ſitus eſt Præſul IANSENIVS. *haud pete plura,*
Cetera nam poterunt bruta vel ipſa loqui.

Guilielmus Lindanus.

CONTRARIA ſolemni laudantium conſuetudini, in GVIL. LINDANI inuicti ſectariorũ Antagoniſtæ præconio, via mihi ingredienda eſt, neque oratio ad laudes dilatanda, ſed ad faſtidium vitandum contrahenda. Nam ſi quæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

per omnem vitam geſta ſcriptaq; aduerſus Hęreticos ab eo ſunt, perſequi omnia ſtylo velim, in immẽſum excreſcat oratio. Vt quod de M. Terentio Varrone D. Auguſtinus ait, iure de LINDANO dixerim, plura eum ſcripſiſſe, quàm vt legere quidquam vacaret, & plura viciſsim legiſſe, quã vt ſcribendi otium ſuppeteret. Summa itaq; dumdaxat attingã. Natus is Dordraci apud Batauos patre Damaſo Conſulari viro, adoleſcens trium linguarum cognitionem breui aſſecutus eſt. Pòſt Philoſophicis Louanij in Gymnaſio Porcenſi pari felicitate perceptis, ſacrarũ litterarum ſtudijs animum applicuit. Paternæ hereditatis ope plurimas Galliæ ac Germaniæ Academias luſtrauit. In Dilingana Sueuorũ cùm ſubſtitiſſet, Petro Soto Hiſpano Theologo præſtantiſsimo à Philippo II. Rege in Britanniã euocato ſuffectus, ſacras ibi litteras magno audientiũ concurſu explicauit. Louaniũ reuerſus, ſummaq; profeſsionis Theologicæ laurea donatus. Decanus Hagę Comitis, & per Bataviam Friſiamque Quæſitor in fidei violatæ reos conſtituitur. Nec actione ſolũ, ſed & ſcriptis (vt ſymbolo pręferebat,) *prælia Domini præliatus eſt*. Scripſit enim *Dubitantium Dialogũ de origine ſectarum huius ſeculi, Panopliã Euangelicã, De optimo genere ſacras litteras interpretãdi*, aliaq; plurima ſtylo heroico ac grauitatis pleno. Creatis ea tempeſtate per Belgiũ Epiſcopis, primus apud Geldros Rurimũdę ad Moſam fl. Antiſtes renuntiatur. Sed creſcente indies Caluinianorũ turba, Regiumq; imperiũ, pro turbulẽto ſectæ ingenio, exuente, in exſilium actus, Romam ad Gre-

ad Gregorium XIII. P. M. ſe contulit. A quo in purpuratorum Patrum Senatu coràm laudatus, pòſt cum eius Internuntio ad Regem in Hiſpaniam proficiſcitur. Ab illo humaniter, vt à Rege verè Catholico fieri amabat, acceptus, cùm domuitionē parat, nec opināti Rex ſpōte promiſit, Theologos ſe Louanij Grudiorum, & Duaci Catuacorum liberaliter, vt Eccleſiæ alumnos, educaturū. Alexandro itaque Farneſio Belgicæ Prorege rem proſperè gerente, reuerſus ad ſuos, Rurimūda Gandauū euocatur, atque in Corn. Ianſenij demortui locū ſubrogatur. Vbi vitæ exiliū tertio pòſt anno finiens in cælum commigrauit. Situs eſt in Æde Cathedrali, cōmuni tumulo cū amico & Collega Ianſenio, hac inſcriptione.

Vnicus es Phœnix, cineres hac tumba duorum
Phœnicum veræ Relligionis habet.

D. O. M.

Rmis. IN CHRISTO PATRIBVS S. TH. DD. CORNELIO IANSENIO ET VVILHELMO DAMASI LINDANO PRIMO ET SECVNDO HVIVS VRBIS EPISCOPIS OB MVLTOS IN SCRVTANDIS ET INTERPRETANDIS SACRIS SCRIPTVRIS EXANTLATOS LABORES ET MERITA IN DEI ECCLESIAM ET REMPVB. CHRISTIANAM POSITVM.

OBIIT HIC II. NOVEMB. CIↃ. IↃLXXXVIII.
ILLE VERO XI. APRILIS CIↃ. IↃLXXVI.

Quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati.

MAX. VRINTI.

DORDACVM *patria eſt*, GRVDIAE *patria altera Athenæ;*
Illa animi altrices, corporis illa mei.
Conſpicuum ſančta coluit RVRMVNDA *tiara,*
Et GANDA *in cineres officioſa meos.*
Non meliore loco naſci, potuíve renaſci;
Non meliore coli, non meliore mori.

 Fran-

Franciſcus Richardotus.

EN aliud ſacri ordinis, ſuique adeò ſæculi decus Franciscvm Richardotvm. Is honeſto apud Burgundiones loco natus, mira ingenij celeritate tantam rerum Theologicarum cognitionem etiamnum adoleſcens aſſecutus eſt, vt viceſimo ætatis anno publicè Lutetiæ Pariſiorum Paullinas Epiſtolas, magno audientium concurſu, explanaret. Inde in Italiam, excolendo potiſſimùm ingenio, profectus, apud Principes viros & ſcietiarum Coryphęos ſummo in honore fuit. In patriam regreſſus, Veſontionum Academiam auſpiciis Ant. Perenotti Granuellani inſtauratã, ſua doctrina mirificè illuſtrauit. Pòſt ab eodem tum Atrebatium Epiſcopo in curæ paſtoralis ſocietatem accitus, ipſi ad Machlinienſem Archiepiſcopatũ euecto in Epiſcopali dignitate ſucceſſit. Artheſios per id tempus occultè inuadere cœperat deprauatarum in Religione opinionũ lues: idque malum, quò occultiùs, eò periculoſiùs è paruis igniculis ortum eam prouinciã, vt vicinas, inflammaſſet, niſi ad incendium reſtinguendum maturè atque alacriter verus hic Paſtor & cuſtos aduolaſſet. Itaque Dominicis ferè diebus, & vernis quadraginta dierum ieiuniis, non minùs piè quàm diſertè (Gallico enim ſermone plurimùm valuit) de Religionis noſtræ myſteriis ad populũ verba idẽtidem faciebat. Non raro etiam Bruxellas accitus, in Procerum conſeſſu de verbo Dei firmis

firmis lateribus diſſeruit; ac Principes Viros, in his Carolum v. Cæſarem, pro funere laudauit. In Tridentina quoque Synodo, cùm fidei Catholicę cauſſam aduerſus hæreſes recens ab inferis excitatas dicendo egregiè tueretur, à doctiſsimorum Patrum conſeſſu libenter auditus eſt. Domũ reuerſus, Academiam Duacenam in Catuacis à Philippo II. Hiſp. Rege recens excitatam, felicibus auſpiciis, habita & mox edita Oratione dedicauit, primusq; in ea Theologiam publicè interpretatus eſt. Multis demùm exhauſtus laboribus, vitam cum morte, vel retro potiùs commutauit VII. Kalend. Auguſti, Anno redempti orbis CIↃ. IↃLXXIV. marmoreo conditus tumulo in ſuo Epiſcopeio à CL. V. Ioanne Richardoto Artheſiæ, pòſt ſanctioris Conſilij Præſide fratris filio, hac inſcriptione.

D. O. M. S.

FRANCISCO RICHARDOTO BVRGVNDO ATREBATIVM EPISCOPO VIRO IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE VERSATISSIMO ET CONCIONATORI ELOQVENTISSIMO QVI OB SINGVLAREM DOCTRINAM ET PRAECLARAS ANIMI DOTES OMNIBVS ORDINIBVS VNICE CARVS POSTQVAM HANC ECCLESIAM PERICVLOSIS TEMPORIBVS INGENII DEXTERITATE ET ASSIDVIS CONCIONIBVS ANNOS IPSOS TREDECIM FELICITER REXISSET MAGNO SVI RELICTO DESIDERIO ANNVM AETATIS AGENS LXVII. E VIVIS EXCESSIT.

IOANNES RICHARDOTVS PHILIPP. II. HISPP. REGI A RERVM STATVS SECRETISQVE CONSILIIS AC LIBELLIS ET ARTHESIAE PRAESES AVVNCVLO OPTIMO NEPOS MOESTISSIMVS POSVIT.

OBIIT VII. KAL. AVG. CIↃ.IↃLXXIV.

Defunctum funebri oratione,quę exſtat,apud Duacenates laudauit Thomas Stapletonus Anglus, Theologus præſtantiſsimus, ceteri omnis ætatis,omnium ordinum luxêre.

Iac. SluperI.

AH fera mors! num letiferis ſtrauiſſe ſagittis,
Et tantum licuit Verbi rapuiſſe Magiſtrum?
Culta per Artheſiæ quo nemo peritior arua
Lanigeras paſcebat oues, teneraſq; bidentes:
Acrior haud quiſquam pauidis ab ouilibus hoſtem
Arceret, nemo prædonibus obuius iret
(Vt proprijs olim Machlinia vidit in aruis)
Promptior,Hollandis qui iam graſſantur in oris.

Cunerus Petrus.

EA profectò virtutis dignitas ac maieſtas eſt,vt etiam à felicitatis in hoc turbido rerum fluxu ſocietate deſerta, ipſa per ſe ſuſpicienda, ac poſteritati cōmendanda ſit. Huius itaque viri ſpectatæ fidei, conſilio, doctrinæ, ac virtuti cùm Pontifex & Princeps Epiſcopale munus committendum duxerint,eum nos debitæ laudis præconio fraudare non debemus. Natus is Zelandiæ oppido (quod à ſpuma marina ex Hiſpaniæ oris allata,ibidemque in ſal humano vſui aptius ſalubriuſque excoqui ſolitâ nomen habet) Philoſophicis ſtudiis Caſtrenſi in Gymnaſio Louanij perceptis, ſacra tam diligenter proſecutus eſt, vt Doctoris, ac Profeſſoris, in Parcēſi Præmonſtratenſium ad

muros

muros vrbis Abbatia, dignitate donaretur. Pòſt ad Parochi & Canonici in primaria eiuſdem vrbis Æde honorem euocatus, qua voce, quà ſtylo pro Dei Eccleſia aduerſus Hæreticos pugnauit. Scripſitq; *de SS. Miſſæ Sacrificio*, *De meritorum Chriſti Sanctorumq; conſenſu*, *De Eccleſiæ Notis XIV*. Inde Leouardienſium apud Friſios Antiſtes creatus, exundante Caluinianorum ac Rebaptiſatorum (quibus ea prouincia in primis ſcatet) ſcelerata aduerſus Principem perduellione, captus à factioſis in arcem Harlinganam ad littus Oceani maris relegatur. Biennio exacto dimiſſus, Monaſterium VVeſtphaliæ metropolim peruenit, ibidem aliquamdiu Coëpiſcopi munere functus. Pòſt Coloniam Vbiorũ profectus, ſacras ibi litteras publicè interpretatus eſt, & populares ſuos religionis ergô exulantes, concionibus aſsiduis in fide maiorum Regiſque Catholici obedientia ſtabiliuit. Cui etiam rei ſcripſit ibidem *De Chriſtiani Principis officio, obedientiaq; illi debita*; *De Gratia, Lib. Arbitrio, Prædeſtinatione, Iuſtificatione, Indulgentijs, & Petri Cathedræ firmitate*. Vir ſanè pius, doctus, animique hilaris, ac minimè fucati; qui pia commiſeratione ſuis in concionibus vbertim ſępe lacrymari viſus eſt. Variis demum moleſtiis, ærumnis & exilij incommodis, quæ Athanaſij, Chryſoſtomi, aliorumque veterum Patrum exemplo conſtanter tulit, fatigatus moritur in Vbiis anno ſalutiferi partus Virginei CIↃ.IↃ LXXX. Funus honorifico tumulo in ſumma Æde ad pedes SS. trium Magorum pro meritis donatum.

Paullus

Paullus Middelburgius.

NON patriæ modò,ſed exteris quoque Principibus ac populis Belgarum virtutem doctrinamque vſui & decori fuiſſe,clarum in primis exemplum in PAVLLO MIDDELBVRGIO inuenias.Is familiæ nomine carens, more gentis, à natali ſolo Middelburgo Zelandicarum inſularum primaria Vrbe cognomen mutuatus,Louanij adoleſcens in ſtudiis annos multos verſatus eſt.In Italiam tranſgreſſus, ob eximiam Phyſices,reique medicæ peritiam, magnum auctoritatis & gratiæ locum apud Ducem Vrbinatium obtinuit. Cumque in Mathematicis etiam artibus excelleret,ſcripſit ad Leonem x.de *Paſchali obſeruatione* libros,qui in manibus ſunt, xiv.& ad Maximilianum Cæſarem,de *Paſſionis Dominicæ die* libros vndeuiginti, perutiles ſanè ac rerum varietate in primis gratos. Demùm Epiſcopatu Foroſempronienſi cohoneſtatus, homo exterus ita ſe geſsit,vt ſubditus ſuis mirificè probaretur. Non nemo hos illi verſiculos Epitaphij loco luſit.

Terra ſacros PAVLLI *hic cineres aliena recondit;*
Nec nimis externam quòd quereretur habet.
Quam placidam viuus,mitem quam repperit hoſpes
Præſul, & extinctus ſentiet eſſe piam.

Iacobus Pamelius.

SACRVM hoc agmen claudat IACOBVS PAMELIVS prioribus non inferior, tantùm quòd morte pręuentus prouinciam nõ adierit. Is illuſtri apud Aldernardam Flandriæ vrbem Baronum Pameliorum ſtirpe oriundus; patre Adolpho, qui Carolo v. Cæſari à ſanctioribus Conſiliis fuit, natus Brugis Vrbe nobili atque ædificiis admodum venuſta. Puerum ſub diſciplina piorum doctorumque virorum Monaſterij Floreffienſis agri Namurcenſis parens eſſe voluit. Inde Louaniũ miſſus, primùm liberalibus ac Philoſophicis diſciplinis, pòſt. Theologicis in Collegio Pontificio Hadriani VI. ære cõſtructo animũ applicuit. Doctiſsimis præceptoribus vſus, in his Ruardo Tappero, & Iudoco Raueſtenio, totos hìc IX. annos Theologiæ ſtudio impẽdit. Prouectior Lutetiá Pariſiorum luſtrandæ Galliæ conceſsit. Inde Louanium reuerſus, Theologiæ lauream meritiſsimò accipit. Mox Brugas reuocatus, Canonica eſt dignitate, & Archipreſbyteri munere ornatus. Hìc prima illi cura Bibliothecam inſtruere, veterum ſcrinia excutere, & manuſcripta exemplaria conquirere. Qua tota de re, in Proæmio *Caßiodori de Diuinis Obſeruationibus* à ſe reperti, diſſerit. Cumque è membranis *B. Cyprianum*, quemque ſuum ille Magiſtrum appellabat, *Tertullianum*, non modò meliores feciſſet, verùm etiam doctis Commentarijs illuſtraſſet,

ſtraſſet, magnum ſibi nomẽ peperit. Staniſl. Hoſius. & Guil. Sirletus Cardinales in ſuam quiſque familiam virum ſæpe inuitarunt. Gregorius XIII. Pontifex Maximus ornandæ virtuti natus non ſemel ad ſe Romam euocauit. Hinc Sixto V. notus, ad RABANI MAVRI editionem ab eo eſt excitatus. Plurimi quoque Belgicæ Epiſcopi, cùm ob multarũ rerum vſum, tum ob eximium zelum, quo collapſos mores corrigere, atque Eccleſiæ diſciplinam priſtinam reuocare ſtudebat, conſiliis eum ſuis adhibuerunt. Primæ Brabantinorum Synodo Machlinienſi magna cum laude interfuit; & alterius Montenſis in Hannonia Synodi pars magna fuit. Belgico rebellantium tumultu, cùm paſsim Clerus ab Hæreticis pelleretur, Audomaropolim Artheſiæ ſe recepit; creatuſque illius Eccleſiæ Archidiaconus optimè rẽ geſsit. Ob quæ in Rempub. Chriſtianam merita, Philippus II. Hipan. Rex eum ampliſsima ad S. Saluatorem Vltraiecti Præpoſitura donauit, quam ſummi ſemper Viri, in eis Hadrianus VI. Pont. Max. Marchiones Bergẽſes, Comites Mõtfortij & Reynoburgenſes, Barones Brederodij, aliique proceres tenuiſſent. Pòſt fauentibus omninm votis ſuffragiiſque Epiſcopum Audomaropolitanum deſignauit. Cuius ergò Bruxellam cogitans, Montibus Hannoniæ morbo correptus, nono pòſt die, vita deceſsit; Vir ſanè ſummus, vtriuſque linguæ, Theologiæ, & Hiſtoriæ cognitione, atq; omni doctrinæ genere excellens: quo nomine à Guil. Lindano mirificè prædicatur. Fratrem habuit

buit Guilielmum Regij ſanctioris Cõcilij Præſidem, Virum magnæ apud Belgas exiſtimationis. Pro funere illum laudauit Guilielmus Talbomius ciuis eius, & in Archidiaconi dignitate ſucceſſor.

Conditus eſt auguſta in Æde D. VValdetrudi ſacra apud Montenſes Hannones, hac inſcriptione.

D. O. M.

NOBILI VIRO IACOBO ADOLPHI F.
FRANCISCI N. PAMELIO PRESBYTERO
SVMMO THEOLOGO D. SALVATORIS
VLTRAIECTI PRAEPOSITO ECCLESIAE
AVDOMAROPOLITANAE ARCHIDIACO-
NO EIVSDEMQ. NOMINATO EPISCOPO
MVLTIS IN TERTVLLIANVM CYPRIA-
NVM ALIOSQVE SCRIPTORES MONV-
MENTIS EDITIS CLARISSIMO INTEM-
PESTIVA EHEV MORTE ABREPTO

FRATRES MOESTISS. POS.

NATVS EST CIƆ. IƆXXXVI. III. ID. MAIAS.

MORTVVS CIƆ. IƆLXXXVII. XIIII. KAL.

OCTOBRIS.

Fed.

Digitized by Google

Fed. Iamotij.

PAMELE floreбas nuper, ſed flore caduco,
Cui Geſſoriaci tradita cura gregis.
Dignus Neſtoreæ metam contingere vitæ,
Carpere vel Phrygij ſæcula longa ſenis:
Nunc, cùm debueras, ſacro ſuffectus ouili,
Paſcere Paſtor oues, ac remouere lupos;
Cùm quæſita foret requies tibi certa laborum,
Reddita cum ſtudijs præmia digna tuis:
Occidis ante diem, neque in hæc te tempora ſeruas,
Infelix vitæ proſperiora tuæ.
O numquam ſors æqua tibi! dum turbine vaſto
Sæuit hiems, perſtas: dum fauet aura, ruis.

N. Grobendonchi.

STa quæſo, & tumulum meum benignè
Hoſpes reſpice, pauculoſq; verſus
Iſtos perlege, iudica deinde, An
Mors matura mihi fuit, precóxve.
Vixi ætate grauis, ſcientiaq;
Non obſcurus, honore, dignitate,
Diu me Eccleſia vidit Audomari
Inſignem, Cathedramq; Epiſcopalem
Pòſt Rex Heſperiæ obtulit Philippus;
At ſtatim mihi mors honorem, onuſq;
Cum vita abſtulit. Ergo iudica hoſpes
An matura mihi fuit, precóxve.

DE-

DECAS II.

Theologi Louanienſes.

RVARDVS Tapperus Enchuſianus Batavus.

Ioannes Driedo Turnhoutanus Brab.

Martinus Dorpius Naltvicanus Batav.

Iacobus Latomus Cambron. Hanno.

Ioannes Leonardus Haſſelius Eburo.

Ioannes Heſſelius Louanienſis.

Iudocus Raueſtenius Tiletanus Fland.

Ioannes Molanus Louanienſis.

Michael Baius Athenſis. } *Hãnon.*
Ioannes Lenſæus Belliolanus. }

Ruardus Tapperus.

SIT hoc Ruardo Tappero in Louanienſium Theologorum claſſe Elogiorum omnium meritò primum; qui editis aduerſus Hæreſes *Articulis Louanienſibus*, quaſi ſignum quoddam ad eaſdem oppugnandas, debellandaſque ſuſtulit. Natus is Enchuſiæ, quod munitum Bataniæ oppidum eſt ad Septemtrionalem Oceani ſinum, Louanij Philoſophicis primùm, dein Theologicis ſtudiis operam poſuit, & Hadrianum Florentij, qui pòſt ad Pontificatum meritò euectus eſt, aſsiduè audiuit. Doctor renunciatus, ob ſummam doctrinam, & parem doctrinæ pietatem, communibus omnium votis ſuffragiiſque, Academię Cancellarius, & ſummæ Ædis Decanus creatur. Mirum quàm carus Summis aliquot Pontificibus, Carolo V. Cæſari, qui eum parentis loco ſemper habuit, Philippo II. filio, cui perfamiliaris fuit, & vniuerſis omnium ordinum hominibus exſtiterit: vt eius domicilium (quod de Q. Mucio M. Tullius prædicat) totius oraculum Belgij fuiſſe videatur. Non raró enim Carolus V. Imp. ad eum Petrum Sotum, & alterum Petrum Maluenda Hiſpanos Theologos, & N. Berſaquium Hannonem, alióſque, petendi conſilij gratia, allegauit. Sæpè etiam cùm de conſtituenda Repub. & inſtauranda per Germaniam & Galliam Belgicâ religione ageretur, Bruxellas

las euocatus. Ad Oecumenicam Synodum Tridentinam à Maria Caroli V. ſorore, quę tum Belgis præerat, miſſus, apud S. Concilij Præſides, & vniuerſos omnium Prouinciarum Antiſtites tanto in honore ac veneratione fuit, vt ſelectus & honoratior ei locus tribueretur. Auctor idem Principibus, vt, cũ rari per Belgiũ Epiſcopi eſſent, qui gregi aduerſus naſcentes hæreſes inuigilarēt, in ſingulis Metropolitanis oppidis Antiſtites, vitæ innocentia & doctrina præditi ſingulari, tanquam canes pro domo Dei latrantes in ſpecula collocarentur. Futura enim quaſi vates animo præcipiebat, & qua erat mentis ſagacitate, præuidebat fore, vt breui lupi rapaces in Chriſti gregem irrumperent, lacerarent, vaſtarent denique, quà patet, ferro flammaque Bęlgium. Senex Bruxellis, quò eum Philippus II. euocarat, apoplectico correptus morbo, ſolutis corporis vinculis, in beatorũ ſedes liber euolauit. Corpus Louanium relatum, conditumque in Odeio ſummę Ædis D. Petro ſacræ, quæ curationis eius fuerat. Valetudine ſemper integra fuit, vegetoque corpore, caſtè viuens & piè; neque dies vllus abiit, quo non ſacris ritè more maiorum operatus rem diuinam faceret. Bibliothecam libris plurimis inſtructam maiori Theologorum Collegio, cui præfuerat, moriens reliquit. Cuius Titulum breui Elogio Viri laudes perſtringentem hîc libuit apponere.

BIBLIOTHECA D. RVARDI TAPPERI S. TH. PROFESS. CELEBER. D. PETRI LOVANII ANNOS XXIV. DECANI ET ACAD. CANCELLARII QVI VT VIVVS THEOL. STVDIOSIS AN. XXXIX. INSTITVIT ITA MORTVVS EISDEM HAC INSTRVCTISS. BIBLIOTHECA RELICTA PRODESSE VOLVIT VIR DE REPVB. CHRISTIANA MERITVS OPTIME CVIVS OPERAM ATQVE INDVSTRIAM PONTIFEX MAX. CAROLVS V. IMP. ET PHILIPPVS HISPP. REX SAEPE REQVISIERVNT DEMVM BRVXELLAM NEGOTIORVM CAVSSA AB EOD. PHILIPPO EVOCATVS MISSO FACTO HISPP. REGE IN SVPREMI REGIS SENATVM SVBVECTVS EST A. CIↃ. IↃLIX. MARTII II. AETAT. LXXI. PAVPERIBVS BONORVM SVORVM HEREDIB. INSTITVTIS.

B. Ariæ Montani.

Pugnat adhuc, validiſq́; tua dextra vtitur armis,
Hoſtem in multiplicem, Tappere, *Louanium.*
Gaudet & vſque tui ſimiles producere gnatos,
Per quos errorum diſcutiat tenebras.

Ioannes Driedo.

EST vero cur Ioannis Driedonis optimi doctiſsimique viri beatos manes honorifica recordatione proſequamur; vt qui Turnhontano in municipio

nicipio apud Brabantos natus, ſuæ gentis induſtriam, quam agricolationi impendunt, ad Theologiæ ſtudium feliciſsimo conatu traduxerit. Doctor namq; Theologus renunciatus, cum linguarum peritia valeret, Lutherũ hæreſim excitantem, vel ab Orco potiùs reuocantem aggreſſus, ſcripſit eruditè admodum *De Gratia ac Libero Arbitrio, huiuſq; cum Diuina Prædeſtinatione Concordia: De Captiuitate item, humaniq; generis Redẽptione, Deq; Libertate Chriſtiana*. Edidit & *De Eccleſiaſticis Dogmatibus Libros quattuor*, Canonicis voluminibus aſſerendis apprimè vtiles. Atque vt erat pietatis amans, cuius in ſcriptis eximia veſtigia apparent, populum etiam ad D. Iacobi verbo Dei pauit Eccleſiaſtes egregius. In medio laborum curſu ante diem Eccleſiæ, prô dolor, ereptus magnum ſui poſteritati reliquit deſiderium; quod tamen edita in vulgus monumenta mitigare & ſolent, & poſſunt. Immaturum eius obitum quidam his verſibus deplorauit.

Siccine, dum ſacrâ ſudas inuictus arenâ,
Te, DRIEDO, *ante diem mors inimica rapit?*
Ah nondum decuit, cum bella cieret Erynnis,
Ah nondum decuit, fortis Athleta, mori!

Martinus Dorpius.

MARTINVS DORPIVS domo Batavus, pro ingenio gentis, vir fuit comis & perhumanus, præter inſignem rerum diuinarum cognitionem, litteris cùm Græcis, tum Latinis egregiè inſtructus. Quo etiam nomine, cum pleriſque earundem cultoribus in his Deſid. Eraſmo, magna illi amicitiæ neceſsitudo fuit. In Gymnaſio Lilienſi apud Louanienſes Eloquentiam primò docens, quædam luſit, vt illis temporibus, non illepida. In his & *Aulularian M. Accij Plauti* ſuppleuit. Pòſt Doctor Theologus elegátes aliquot ſacris de rebus à ſe habitas Orationes evulgauit. Quid quæris? Quin & Deſ. Eraſmum Roterodamum, quamquam amicum, audaciæ ac ſtolidę temeritatis, de conſcripto, Luciani Satyrici imitatione, Morię ſeu Stultitiæ Encomio ſeuerè admonuit, editaque epiſtola bene longa, imprudentem eius ſtultitiam, vt qui de poſteritatis memoria iudicioque minimè laboraret, acriter reprehendit; & ad retractandum quod peccarat, ſi ſaperet, ſeriò cohortatus eſt. Atque vtinam id genus impia ſcripta, Moriam inquã, & Colloquia, peſtes pernicieſque iuuentutis, flammis potiùs, quám luci tradidiſſet! De his enim Mænandri illud rectè vſurpaueris.

Corrumpunt bonos mores Colloquia praua;

& ô

& ô miſeros, cœcos, & amentes, quos hodieque Moria illa ſapere docet. Obijt DORPIVS prid. Kal. Iunij anno quinto & viceſimo ſupra milleſimum & quingenteſimum, in Carthuſiæ Louanienſis porticu, vt teſtamenti tabulis iuſſerat, conditus; vbi egregium hoc Elogium amico abs Deſiderio poſitum legas.

MARTINVS *vbi terras reliquit* DORPIVS,
Suum orba partum lugent extinctum decus,
Triſtes Camœnæ candidis cum Gratiis,
Tantum patronum lacrymis deſiderant:
Louanienſis omnis explorans ſchola
Sidus ſuum requirit: O mors, inquiens,
Crudelis, atrox, iniqua, & inuida,
Itán' ante tempus floridam arborem ſecans,
Tot dotibus, tot ſpebus orbas omnium
Suſpenſa vota? Premite luctus impios;
Non periit, ille viuit, ac dotes ſuas
Nunc tutè habet, ſubductus æuo peſſimo.
Sors noſtra flenda eſt, gratulandum eſt DORPIO.
Hæc terra ſeruat, mentis hoſpitium piæ,
Corpuſculum, quod, ad canoræ buccinæ
Vocem, refundens optimâ reddet fide.

Iacobus Latomus.

O BEATVM Louanium, loci amœnitate, cæliq́ue clementia, at multò magis optimarum diſciplinarum ſede, tãtoque præſtantiſsimorum Theologorum numero, quantus vel in vlla non dico vrbe, ſed prouincia, patrum noſtraque memoria exſtitit! Celebris inter ceteros olim IACOBVS LATOMVS fuit, præſtanti vir ingenio, vt quod natura corpori ſubtraxerat (erat enim ſtaturâ puſillâ) cumulatè ingenio redditum cenſeretur. Lingua enim vtraque egregiè imbutus, ſciolorum illius æui arrogantiam contudit, qui ſolis niti linguis ſacras litteras iactitabant. Quin & primas Nouatorum fraudes detexit, & conatus impios fregit, qui nouam religionis faciem à ſincera & priſtina alienam, imò cum illa prorſus pugnantem, nudo litterarum præſidio inducere conabantur. Lutherum, Oecolampadium, Tyndallum, alioſque farinæ huius perditos homines, tunc ſerpentino more venena iacientes depreſſit, & pernicioſa eorundem dogmata recens conficta, aut rurſum ab inferis reuocata ſuis ſcriptis iugulauit. Vir ſanè doctus, prudens, & conſilio maturus; qui de Officiis (Conſcientiæ caſus vulgò nominant) à Parochis conſultus de plano reſponderet. Nos Louanij ad D. Petri, poſt aram ſummam, hoc Epitaphium è ſarcophago deſcripſimus.

VENE-

VENERABILIS VIR D. ET MAGISTER IACOBVS LATOMVS HVIVS ECCLESIAE S. PETRI CANONICVS ET S. THEOLOGIAE PROFESSOR CLARISS. QVI HAERESES CONTRA CATHOLICAM FIDEM SVO TEMPORE GRASSANTES DOCTRINA ET LIBRIS EDITIS PROFLIGAVIT VIR SANE MVLTAE ERVDITIONIS PIETATIS AC MODESTIAE H. S. E.
OBIIT CIƆ. IƆXLIV. MAY XXIX.

Bened. Ariæ Montani.

AEdificat LATOMVS *multa & præclara diſertus,*
Diſponenſq; manu conſtruit artifice.
Qui loca quæſierit Fidei bene commoda noſtræ,
Illa petat, doctus quæ poſuit LATOMVS.

Ioannes Leonardus Haſſelius.

IS communi cum Fr. Titelmanno patriâ Haſſeleto ditionis Leodicenſis oppido oriūdus, adoleſcēs apud Grudios in Philoſophicis ac Theologicis ſtudiis ita verſatus eſt, vt æqualibus ſuis longè antecelleret. Erat in eo præter exactam linguarum trium Hebraicæ, Græcæ ac Latinæ peritiam, ingenium admirabile, & prudentia ſingularis cum pietate coniuncta. Ad hæc iuſta proceri corporis ſtatura, quæ dotes haſce eximias longè ſplendidiores redderet. Doctor ſalutatus maiori Theologorum Collegio præficitur,

& publicus ſacrarum litterarum Profeſſor adhibetur. Cumque Tridentum Pontificis Max. auctoritate indictū Concilium eſſet, quò ex omnibus Orbis partibus, ſarciēdæ Eccleſiæ Catholicæ concordiæ, prȩſtantiſsimi quiq; Theologi, præter Antiſtites à Principibus mitterētur, vt quo ad eius fieri poſſet ortum in Europa hæreticæ labis incendium reſtingueretur; miſſus eòdem à Rege Catholico Philippo II. HASSELIVS aduolauit. Nec finem, immatura morte præreptus, Anno CIↃ. IↃ LI. videre potuit. Scripſit aureum ſanè libellum de *Nectarij Patriarchæ CP. facto ſuper Confeſſione*; quod ipſum argumentum & Lat. Latinius poſtea Romæ tractauit. Dictauit & in *Iſaiam, ac D. Paullum* elegantes Commentarios, quos ab Adamo Saſboldo diſcipulo ſui Ordinis Sodalibus prȩlectos, eiuſdem nomine falsò atque ambitiosè nimis quidam à morte vtriuſque evulgauit. Conditus eſt Tridenti magno Patrum luctu; cuius ad tumulum hos quidam verſiculos luſit.

Siſte gradum, & tumulo flores inſperge viator,
Fauſtaq; ter cineri verba precare ſacro.
Tridentum Grudiis à Cæſare miſſus Athenis,
Hic procul à patriâ conditur HASSELIVS.
Ah fera mors! reducem potiùs ſtrauiſſe decebat,
Aut priùs Alpinus quàm peteretur apex.

Diem & Locum Natalem ſcimus; Fatalem neſcimus.

Ioannes Heſſelius.

SI non maiore, paci certè doctrinæ gloria ſuperiores ſubſequitur IOANNES HESSELIVS. Is primis annis Atrebatêſis in patria Academia Gymnaſij alũnus, Philoſophicis ac Theologicis rebus ſedulã operã impẽdit. Inde ad Parcẽſem Pręmonſtratenſiũ ad muros Louaniẽſes Abbatiã euocatus, annos ipſos octo Religioſos eius loci Theologicis imbuit. Doctor renũtiatus nouo Theologorũ Collegio recẽs tum excitato primus Præſes datur. Vir perſpicaciſsimi, & diuini propemodũ ingenij, qui Profeſſor Regius libros Sententiarũ Petri Lombardi multos annos, magno diſcipulorũ cõcurſu, explanauit. Ad Tridentinã Synodũ, quò quidquid floris Chriſtiana habuit Reſpublica, cõſtat cõueniſſe, & ipſe, HASSELIO extincto, à Rege miſſus, præclarã Eccleſię operã nauauit, finemq; ſpectauit. Dimiſſo Cõcilio domũ reuerſus, non voce tantũ, ſed & ſcriptis aduerſus Hæreſes eo zelo pugnauit, vt neglecta valetudinis ratione, nullã vigiliis requietẽ daret. Quo factũ, vt grauibus ſæpe calculi doloribus, & apoplectico demũ correptus malo, CIↃ.IↃLXVI. VII. Idus Nouemb. anno ætatis quarto & quadrageſimo extinctus ſit; hac tamen parte fortunatus, quòd vt olim ex Iſocratis ſchola optimi quique Oratores, ſic ex eius auditorio pręſtãtiſsimi Theologi, quibus etiamnum Louaniẽſis floret Academia, prodierint. Cõditus eſt in ambitu ad D. Petri, iuxta ſacrarium Venerab. Euchariſtiæ, cuius Sacramenti vehemens, dũ vixit, aſſertor enituit.

Iudocus

Iudocus Raueſtenius.

PLVRIMOS ſanè cuiuſuis facultatis eruditos homines Flandria noſtris temporibus protulit. Inter Theologos quidē IVDOCVS RAVESTENIVS multis nominibus eminet. Is Tileto oppido, quod prouinciæ vmbilicum ferè obtinet, oriundus, ſacra ſtudia in maiori Theologorū Collegio Louanij proſequens, ibidem diu Oeconomiam adminiſtrauit. Doctoris Theologi titulum adeptus, Collegij Hauterlæi Præſes, & Academiæ Curator, ſeu Priuilegiorū Conſeruator conſtituitur; honeſtis Sacerdotiis, Præpoſitura VValcurienſi in agro Gallo-Brabantico, & Canonica dignitate Louanij ornatus. Vir ſanè eruditus, nec Græcè ignarus; cuius ſummam vitæ integritatem & prudentiam longo rerum vſu partam peculiaris quædam morum grauitas magis commendabat, quæ in geſtu, inceſſu, vultu, tota deniquecorporis conſtitutione, reſplendentibus veluti radiis elucebat. Erat porrò ſedulus in docendo, acris & vehemens in diſputando, in conſiliis dandis circumſpectus ac maturus. Theologicę ſcholæ ſplēdor, & Catholicæ Eccleſiæ incrementum in primis illi curæ erant. Quo factum vt hæreſes Belgium infeſtantes acerrimè doctiſsimeque confutaret, & à Senatu Antverpienſi, libro illi nuncupato, quem aduerſus Matth. Flaccum Illyricum impiæ Confeſsionis Antverpianæ architectum con-

conſcripſerat, aureo cypho honoraretur. Senem abſumpſit apoplexia VII. Idus Febr. CIↃ.IↃ LXX. quo anno Selymus II. Cyprum Venetorum Inſulam inuaſit.

Funus terræ mandatũ in æde maioris Xenodochij, vbi ſacris Virginibus, infirmorum curam pia ſedulitate exequentibus, multos annos præfuerat.

ILLYRICVS Belgas infecerat; oppugnabat
Tridentina Patrum dogmata CHEMNITIVS.
Audiit indignans hæc TILETANVS, *in hoſtes*
Surgit; & arrepto bella gerit calamo.
Belgarumq́; ſacros tutans à furibus hortos,
Arcuit, infeſtos continuitq́; lupos.

Ioannes Molanus.

INGRATVS ſim, ſi te ſilentio MOLANE prætercam, quòd cùm aliorum monumenta eruendo, Diuorumq́ue res geſtas ac nomina ab interitu vindicando, vitam alijs donaris, nominis ipſe immortalitate mertò dignus eſſe videaris. In VSVARDI primùm vetere illuſtrando atque augendo, ex Beda & Adone potiſſimùm, Martyrologio, preclarũ diligentiæ atque induſtriæ ſpecimem dediſti. Mox, vt naturæ ſuæ genio quiſque rapitur atque indulget, maximam Belgij partẽ, luſtratis omniũ Eccleſiarum ac Monaſte-

naſteriorum antiquis Bibliothecis, excuſsis archiuis, lectis Annalibus, nec labori parcens aut impendio, peragraſti. Hinc pius ille fetus enatus *De Sanctorum Belgij Natalibus*; in quibus fidem diligentiamque grata omnis poſteritas exoſculabitur. Omitto quæ hoc in genere cum Cæſare Baronio Cardinale, & Laurentio Surio Carthuſiano, ad vaſtum illud *De probatis Sanctorum vitis* Opus amplificãdum, libens volenſque communicaſti. Plurima quoque temporum iniquitate impeditus, atque immatura demum morte præuentus (immatura enim eorum ſemper, qui de Repub. bene mereri ſtudent, mors videri ſolet) heredibus mandaſti; vt *Romanum Martyrologium amplis Notationibus illuſtratum*, *vt Annales Vrbis Louanienſis*, *vt Bibliothecam Theologicam* diu multumque exoptatam. Laborioſam ſanè vitam egiſti, qui non ſcriptis poſteritati ſolùm viuus interfuiſti, ſed & præſens æquales de ſuperiore loco ſumma animi contentione docuiſti, Cenſorque de aliorum lucubrationibus candidè prudenterque iudicando, perutilem ac diligentem operam nauaſti. Quid? vt & mortuus non ingenij ſolùm monumentis, ſed & fortunæ bonis Eccleſiæ prodeſſes, inſigne vectigal iis qui ad curam ſeſe paſtoralem comparant, teſtamenti tabulis legaſti. Pro quibus tot tantiſque in Rempubl. meritis, æterna vt ſpero, præmia è terris abiens conſecutus es.

Tumu-

Tumulus ad D. Petri Louanij.

CONDITVS HIC IACET D. IOANNES MOLANVS LOVANIENSIS S. THEOLOGIAE PROFESSOR APOSTOLICVS AC REGIVS LIBRORVM CENSOR ECCLESIAEQ. HVIVS CANONICVS QVI EDITIS LIBRIS CLARVS ET INSIGNI CONDITO TESTAMENTO QVO PAVPERIBVS STVDIOSIS AD CVRAM PASTORALEM SERIO SE PRAEPARANTIBVS ANNVOS TRECENTOS FLORENOS LEGAVIT.

OBIIT LOVANII MAGNO SVI RELICTO DESIDERIO CIↃ. IↃLXXXV SEPT. XVIII.

NVlla meum condent Lethæa obliuia nomen,
Clarus & à ſera poſteritate colar.
Id facient Diui, quorum pia facta tenebris
Eripui, calamo reſtituiq; meo.
Forſan & ætheria præconem ſede locabunt
Numina, ero ſacri parſq; aliquando chori.

Michael Baius.

QVÆ duæ res in vnum eundemq; hominem rarò admodum conuenire ſolent, præſtans ingenium, & ſumma animi modeſtia; eæ ambæ in MICHAELE BAIO ita enituerunt, vt de illo ornando certaſſe inter ſeſe videantur. Nam & in Philoſophiæ ſtudiis, quibus primos annos Porcenſi in Gymnaſio Louanij dedit, ita excelluit, vt ſuperiorum ætatum Philoſophis ingenio doctrinaque

naque

naque par haberetur. Quam eximiā laudem cumulabant ſingularis morum facilitas, & hilaris naturæ comitas. Quibus quidem virtutibus, cum penitiore ſacrarum litterarum (quas annos XL. Regius Profeſſor publicè interpretatus eſt) cognitione coniunctis, voluntates & ſtudia hominum ita ad ſe attrahebat, vt Principibus etiā viris, in his Ioanni Auſtrio Belgicæ Proregi, hoſpitio à ſe idemtidē excepto, gratus ſemper extiterit. Et virum tantis ingenij doctrinæque præſidiis ad maxima quæque munera Reip. obeunda inſtructum, priuatæ vitæ otium ambitioſæ cupiditati antepoſuiſſe, & tranquillam in ſtudiis ætatē perpetuò egiſſe, ſummæ moderationis, excelſiq; animi præclarum ſpecimen fuit. Quamquā primum ac perpetuum Academiæ Magiſtratū (vulgò Cācellariatum vocant) vltro oblatum declinare non potuit, in quo obeundo annos multos ſumma omnium gratia verſatus, eximiam ſibi laudem peperit. Ad Tridentinum Cōcilium, cuius & finem ſpectauit, vnà cum Corn. Ianſenio & Io. Heſſelio à Principe miſſus, egregiam ingenij, doctrinæ ac pietatis in celeberrimo Chriſtiani Orbis Theatro teſtificationem dedit. Omitto quæ cum Phil. Marnixio de SS. Euchariſtia pro Romana Eccleſia ſubtiliſsimè diſputauit. Sacris tam ſanctè vir pius quotidie operabatur, vt inter ſacrificandum & lacrymas effunderet frequenter, & eaſdem aliis excuteret. Facultates ſuas moriēs pauperibus teſtamenti tabulis legauit, Collegio in Grudiis ſub patrocinio B. Auguſtini, quem religioſè ſemper coluit, excitato. Reliquas illius virtutes funebri

oratio-

oratione Io. Bernartius Machlinien. IC. eſt proſecutus. Iacobus Baius fratris filius, Doctor itidem Theologus, hoc illi monumentum in Æde ſacra Collegij Pontificij ab Hadriano VI. exædificati poſuit.

HIC IACET SEPVLTVS EGREGIVS VIR D. AC M. N. MICHAEL DE BAY ECCLESIAE COLLEG. D. PETRI LOVANII DECANVS VNIVERSITATIS CANCELLARIVS ET CONSERVATOR GENERALIS PER BELGIVM INQVISITOR REGIVS S. THEOLOGIAE PROFESSOR ET COLLEGII PONTIFICII PRAESES.

DECESSIT XVI. SEPT. CIↃ. IↃLXXXIX. DECANATVS ANNO XIV. PROFESSIONIS XL. PRAESIDENTIAE XXXIX. AETATIS ANNVM AGENS LXXVII. ANIMAE QVIETEM LECTOR PRECARE.

Ioannes Lenſæus.

IVRE optimo laudãdus mihi eſt LENSÆVS, in quo vt ſolida Auguſtini doctrina, ſic ſuauis Lactãtij elegãtia enituit. Pauci certè hoc viro Theologiæ dogmata puriùs atque nitidiùs explicarunt, pauci errores ſectariorum eloquẽtiùs atq; validiùs confutarunt. Teſtes Libri *De Chriſtiana libertate, De Eccleſia, De verbo Dei non ſcripto, De Purgatorio*, aliiſque Religionis noſtræ capitibus hodie in dubium reuocatis, conſcripti. Teſtis, inquam, vniuerſa Controuerſiarum ſeries, quam olim in ſcholis dictatam & auidè exceptã, neſcio an temporum in quæ incidimus, iniuria atq; tempeſtas, an Viri modeſtia ſuppreſſerit. Vir erat ſcholis natus, qui decurſo Louanij in Falconenſi Gymna-

ſio, Ariſtotelem explanando, Philoſophiæ ſtadio, primũ in Parcenſi Præmõſtratenſium Abbatia ad vrbẽ Louaniẽſem, pòſt in Academia ipſa publicę profeſsioni, & concertationum exercitationi admotus, à frequenti auditorũ concurſu applauſum aſsiduè meruit. Bellũ profectò *Belliolum*, obſcurus aliàs agri Athenſis in Hannonia pagus, hoc tanto alumno, eiusq; fratre ARNOLDO, quẽ, editis pridem typis Plãtinianis *Geotremicorũ Euclidis Elementorum Rudimentis*, Dux Moſcouiæ, ob Medicinę ac Mathematices peritiã ſingularẽ, Antverpiâ euocauit, & valetudinis ſuæ liberali ſtudio habere rationẽ iuſsit; vbi & vrbe Moſcua à Tartaris incẽſa pòſt periit. IOANNES Louanij perpetuò hæſit, obiitque Regius Theologiæ Profeſſor poſtridie Kal. Iulij CIↃ. IↃXCIII. annos vix natus duos & quinquaginta; ſibi ipſi quidem ſatis fortaſſe longæuus, auditoribus verò ſuis intempeſtiuè nimiũ ereptus, quos nimirũ vigente adhuc ætate, vir iuuãdis aliorũ ſtudiis natus, erudire potuiſſet. Moriens Ioanni Clario Collegę lucubrationes ſuas nondũ editas cõmẽdauit, qui, eidẽ in profeſsione ſuccenturiatus, tres eius *De Fide, Spe, & Caritate* Libros poſtumos nuper evulgauit.

Perſtringunt aciem laudum monumenta tuarum,
Et ſtupet Eulogiis mens hebetata tuis.
Sublime ingenium, placidique modeſtia vultus,
Inſignis pietas, iudiciumq; ſagax:
Excultus doctrina animus, Suadaque venuſtas,
Et fons eloquij feruido ab ore ruens:
Grande tibi LENSÆE *decus, nomenque dedẽre,*
Iturum extremas orbis ad vſq; plagas.

DECAS

DECAS III.

Theologi variis locis clari.

Doctores Pariſienſes.

HENRICVS Goethalſius Gandav.

Iudocus Clichtouæus Neoportuanus Flander.

Albertus Pighius Campenſis, Doctor Colonienſis.

Godſcalcus Roſemundus Endouianus Brabantus, Doctor Louanienſis.

Henricus Grauius, Ciuis & Doctor Louanienſis.

Gerardus Matthiſius Geld. Doct. Col.

Doctores & Cancellarij Duacenſes.

Matthęus Galenus VVeſtcapel. Zelād.

Matthias Boſſemius Amſtelr. Batav.

Reinerus Snoyus Goudanus itidem Batavus, Medicus & Theologus.

Martinus Duncanus Quempenas.

Henricus Gandauenſis.

NEMO Belgarum HENRICO GANDAVENSI in Theologicis ac Philoſophicis ſtudiis, aut acrior aut ſubtilior fuit; vt qui admirandis Commentationum voluminibus, communi Gymnaſiorũ conſenſu, *Doctoris Solemnis* cognomen aſſecutus ſit. Natus is Gandaui antiqua Eutrachelorum, quos vulgò Goethalſios indigetant, familia, Lutetiæ Pariſiorum multos annos ſacras Doctor Sorbonicus litteras explanauit. Scripſitque præter eruditos *in Phyſica & Metaphyſica Ariſtotelis Commentarios, Summam Theologicam,* atque ingens *Quodlibeticarum,* vt nominant, *Quæſtionum Volumen*, mira rerum varietate diſtinctum. Is enim erat illius ſeculi apud Theologos genius, vt quæ in controuerſiam vocarentur, graues in primis atque difficiles Quæſtiones, quòd de re qualibet cuilibet diſſerere liceret, Quodlibeticæ appellarentur. Qui mos in Belgicis Academiis Louanienſi ac Duacena hodieq; perdurat, iis ipſis diebus, quibus Romani Saturnalia, dierum, vt vocabant, optimos, ſolemni ritu peragebant. Hinc Hadriani V I. Io. Briardi, & eorum qui pòſt inſecuti ſunt, Quodlibetis plenæ Bibliothecæ, plena ſunt fora. HENRICVS autem à Tornacenſi Antiſtite ad Archidiaconi dignitatem, virtutis doctrinæq; nomine adſcitus, oculus Epiſcopo fuit; obiitque CIƆ.CCXCIII. Viſitur etiamnum ſepulcrum apud Neruios in Æde primaria Deiparę ſacra vetuſtate pęnè oblitteratũ.

Eadem

Eadem è familia, ne quis & nomen temporis iniuria extinctũ arbitretur, nuper floruit FRANCISCVS EVCOLVS Poëta Tragicomicus; hodieque floret alter FRANCISCVS GOETHALSIVS Anteceſſor Duacenus, ſcriptis vterque ſuo in genere celebris.

QVanta animi virtus, quàm rarum mentis acumen,
HENRICE ingenij copia quanta tui:
DOCTORIS ſignat titulus, nomenq́; SOLEMNIS,
Quæ tibi viuenti ſponte dedère ſcholæ.
At mage teſtantur, nullum interitura per æuum,
Exſtant ingenij quæ monumenta tui.

Iudocus Clichtouæus.

NON debet eximię huius Viri doctrinę ſplẽdor debitis carere laudibus, cuius in vniuerſam Rempub. Chriſtianam meritis par gratia rependi non poteſt. Nam præter Philoſophica, quæ Iac. Fabri Stapulẽſis Doctoris ſui veſtigiis inſiſtens, variis cõmentationibus illuſtrauit, Theologica quoq;, vt Laurea à Sorbonicis donatus, egregiè tractauit. Quibus & Eccleſiã Orthodoxam propugnauit, oppugnauitq; Lutherũ & Oecolampadium apoſtatas. Concionibus ad populum regnaſſe arguunt tot ab eo editæ Homiliæ, quæ tum cupidè legebantur, Pariſiis & in Vbiis editæ. Obiit apud Celtas Canonicus Carnutenſis, & omne fere patrimonium ſuis ciuibus in ſtudiis alendis teſtamenti tabulis legauit.

Albertus Pighius.

MIRARI ſępe ſoleo, qui fiat, vt quę duę res omnium humanarum lõgè præſtãtiſſimæ, Doctrina & Prudentia, eam inter ſe habeant ſimilitudinẽ, vt ad ſui perceptionem nõ niſi pręclara admittant ingenia: eæ rurſus inter ſe ita diuerſæ ſint, vt ab vno eodemq́ue, quamquam ſplẽdido ingenio, vtraq; aut numquã aut perrarò percipiantur. Siquidẽ videmus eos qui in ſapientiæ ſtudijs, atq; in cęleſtiũ ac diuinarũ rerum inueſtigatione excellant, ad res publicas ciuileſque tractãdas minus aptos eſſe: eos cõtrà qui in Reipub. adminiſtratione verſantur, ſi ad doctrinę ſeſe ſtudia contulerint, numquã fere ad culmẽ peruenire. Vt nõnulli reperiãtur, qui hæc prorſus inter ſe pugnare exiſtimẽt, eiusq; rei in ſcholis ſępe ac multùm quæſitæ, & diſceptationibus agitatæ rationes non omnino improbabiles adferant. Nos quamquam vtramque laudem rarò vni eidemq́ue contingere non negamus, tamen ſingulos fere ſingulis ætatibus reperiri adfirmamus. Non lõgè abiero. Patrum memoria ALBERTVS PIGHIVS enituit, felici ac verſatili vir ingenio; qui cùm Theologię atque Aſtronomiæ cognitione naturalem quoq; prudentiam, rerumq́ue publicarum vſum & intelligentiam coniunxit, eximia Latinę dictionis elegãtia, quæ ſcriberet agerétve, comitante. Natus is Campis Tranſiſalanæ ditionis oppido ad meridionalem Oceani ſinum, dum Louanij in Theologica palæſtra adoleſcens verſatur, ſcripſit ad Leonem X. Pont Max. *De*

Ratione

Ratione Paſchalis celebrationis, Deq; Reſtitutione Kalendarij, cēſurā ab eius Academię Doctoribus poſtulatā. *Apologiam* deinde aduerſus Marci Beneuētani Aſtronomiā, quę Alfonſi Regis, ac recētiorum de motu octaui orbis Poſitionem deprauârat. *Aequinoctiorum* item, *Solſtitiorumq; Inuentionē*, & alia in Mathematicis nō pauca edidit. Ad hāc ingenij præſtantiam (quā oris deformitatē natura abundè cōpenſarat) & manuū rara quædā argutia acceſſit, quā ænea inſtrumenta deprehendendis ſiderū curſibus exactiſsimè fabricabat. Pòſt è Louaniēſi Prolyta (à lauri bacca vulgò Baccalaureos nominant) Doctor Theologus Colonię in Vbiis renuntiatus, præter varia aduerſus Lutherum, Melancthonē, Bucerū & Caluinum conſcripta, aureo illo *De Eccleſiaſtica Hierarchia*, poſt Dionyſ. Areopagitā, volumine, veluti acutiſsimo gladio aduerſariorū cauſſam iugulauit. Quamquā non ignoro iis in libris quædam Theologis noſtris nō vſquequaq; probari, in quibus à D. Auguſtini doctrina, quā Eccleſia Catholica ſequitur, nonnihil videtur receſsiſſe. Obſeruatum verò & illud ſcio, cū volumen iſtud cōmentaretur, vt violatā ab Hæreticis SS. poteſtatis auctoritatē Rom. Pōtifici vindicaret, eū ſummo vitæ periculo Dei numine ereptū. Bononię enim in celeberrima pōpa, cū trāſeunte coronato Cęſare Carolo v. pars lignei pōtis iuxta Cæſarē turbæ pondere corruiſſet, ALBERTVS tignorum atq; hominum ruina ita oppreſſus eſt, vt probitatis atq; inſtituti operis merito ſeruaretur. Sed & in publicis Eccleſię negotiis tractādis Rō. Curię multos annos admirationi fuit: in quibus is

exſtitit, vt nemo, aut pauci certè magis fidelem, pluribúſve locis, aut maiore cum approbatione Hadriano VI. (à quo primum in Italiam euocatus eſt) Clementi VII. Paullo III. Summis Pontificibus, adeoque Chriſtianæ Reipub. vniuerſæ operam nauarint; cùm in vario genere Reipub. adminiſtrandæ, tum verò in frequentibus legationibus per Italiam ac Germaniam de maximis rebus obeundis. Quarum virtutum meritis ampliſsima ad S. Ioannem Bap. Vltraiecti Præpoſitura cohoneſtatus, ibidem ſenex diem clauſit extremum CIↃ. IↃLXII. IV. Kal. Ianuarij. Apologiâ aduerſus Mart. Buceri calumnias nondum adfectâ.

Laudatiſsimis auunculi ſui veſtigiis hodieque inſtat *Stephanus Vinandus Pighius*, cui paucos hodie doctrina æquales, ſuperiores longè pauciores inuenias. Teſtantur id *Hercules Prodicius*, ſeu boni Principis Imago, & *Annales* ſeu *Faſti Magiſtratuum Rom.* nuper editi. Sed à viuis laudandis, vt recepi, abſtineo.

Myrtei.

Qui extremâ Batavûm profectus orâ,
Non bello ore, animo ſed, omniumq;
Præclarus ſtudio ſcientiarum,
Pro Republica, & optima Quiritum
Sede, acer ſtetit hoſtis in Lutherum
ALBETVS *iacet hîc. Sacrum ſepulcro*
Da thus Maxime Pontifex, & vndam.

Io.

Io. Latomi.

NE turba tumulum Viator iſtum;
Sed aſta reuerenter, & ſaluta
Sacratum cinerem viri ſacrati.
Ille eſt PIGHIVS *hoc loco ſepultus,*
Aures qui Batauas ita expoliuit,
Vt dicas ſapere Atticos lepôres.
Quare tam bene dormiat, precare,
Quàm doctè, nitideq; & eleganter
Defendit Latiæ decus tiaræ,
Et morem ſtatuit pium ſacrorum:
Vtro vt nomine debeant Latini
Plus illi addubitent: vtroque certè
Ingens promeritum viri fatentur.

Godſcalcus Roſemundus.

PÆNE me GODSCALCVS ROSEMVNDVS fugerat, quem quotquot pœnitentibus aures præbent, ob pium doctumque *De confitendi ratione* libellũ non ignorát. Primus hic Louanij glaciem, quod aiunt, ſecuit, & viam aperuit ad controuerſas de Officiis Quæſtiones è D. Thoma Aquinate hauriendas. Virginibus velatis, quæ piam eadem in vrbe curam in Xenodochio, iam olim maternæ beneficentiæ exemplo, à Sophia B. Eliſabethæ filia, Henrici Brabantiæ Ducis cõiuge, dotato, gerentibus Paſtor multos annos, cõ-

pluribus innocentię pietatisque editis exemplis, prȩfuit: ac perpetuũ vitæ tenorẽ ab omni vitiorum contagione vacuum atque integrum præclaro exitu concluſit. Verſiculos iſtos ſepulcro in Æde, quæ curationis eius fuit, appenſos me legere memini:

NE deſit cuius virtutem imiteris, & acta,
Quis ſit in hoc buſto conditus, oro, legas.
GODSCALCO *mihi nomen erat, cognomen habebam*
A MVNDA, *cui par vita pudica,* ROSA.
Doctor, & interpres diuinæ mentis habebar,
Reſpondiq; meo ſedulus officio.
Non etenim tituli vixi contentus honore,
Sed CHRISTI *docui nocte dieque gregem.*
Submouique lupos, & per deſerta vagantes
Ad caulam duxi paſtor amicus oues.
Quodque alios docui, ſemper prior ipſe ſubiui;
Virtutem exemplo ſic didicêre meo.
Sum largitus opes miſeris, dum vita maneret,
Atque in eumdem vſum cuncta relicta mihi:
Quæ partim domus hæc, quæ continet oſſa ſepulcro,
Perpetua infirmæ pabula plebis habet.
Pro quibus officiis merces mihi digna relata eſt;
Corpore nam poſito ſpiritus aſtra tenet.
Obiit an. Domini CIↃ. IↃXXVI. Non. Decembr.

Henricus Grauius.

LOVANIENSIVM Theologorum doctrinam ac fidem coram in Hadriano VI. Alb. Pighio, Guil. Lindano, aliisq;, & Tridenti in tot illuſtribus Viris ab Academia ad Sy-

nodum

nodum miſsis, Romana ſedes non ſemel experta eſt. Neque ignotum id eſſe potuit Sixto V. Pont. Max. acri ingeniorũ æſtimatori, qui Bibliothecæ Vaticanæ, Pontificioq́; Typographeio pręficiendum, Louanio HENRICVM GRAVIVM Doctorem Theologum euocauit; vt quem parentis ſui Bartholomæi Typographi exactiſsimi diligẽtiâ ac fide æmulum futurũ confideret. Romam itaq; vt venit, Gregorio XIIII. Pont. Max. (Sixtus iam obierat) mirificè ſe probauit, gratuſque Borromæo, Caraſę, Columnę, Cuſano, aliiſq́; Cardinalibus exſtitit. Cùm Cæſare Baronio quoque illuſtri illo Eccleſiaſticæ antiquitatis præcone, vt acri vir iudicio, atque in SS. Patrum ſcriptis diu multumq́ue verſatus, perfamiliariter contulit. Septimum namque B. Auguſtini, qui de Hæreſibus eſt, Tomum, poſt Mart. Lipſium, Notis iam antea illuſtrarat, & Paullini Nolani Epiſcopi opera caſtigarat. Valetudine vſus imbecilla Romanũ aërem ferre non potuit, obiitq́ue quinto ab aduẽtu menſe, Vaticano in palatio, magno doctorum omnium luctu, poſtrid. Kal. Aprileis CIↃ.IↃXCI. Baronius, quem pòſt Clemẽs VIII. Pontifex eximię virtutis doctrinæq́; merito legit in Senatũ, amico tumulum poſuit ad S. Mariã animæ, Germanorum; & iuſta alumno ſuo Louaniẽſis Academia perſoluit. Exſtatq́ue Laudatio funebris Iacobo Ianſonio Doctore Theologo Editore. *Opus* eius *Catechiſticum*, aliaq́ue apud heredes latent, quæ auidè exſpectamus.

Gerardus

Gerardus Matthiſius.

NON Philoſophicæ modò, ſed & Theologicę lucubrationes GERARDI MATTHISII nomen illuſtrant, vt Matthæi Bredēbachij, viri de Repub. Chriſtiana optimè meriti, diſcipulum poſsis agnoſcere. Cuius etiam exemplo iuuentutem inſtituens, Montano apud Coloniēſes Gymnaſio annos aliquot cum imperio præfuit. Pòſt nobiliſsimo primariæ ædis collegio, vt Preſbyter Doctorq; Theologus, adſcriptus, pręter *Conciones ſacras*, in difficilem illam D. *Paulli ad Romanos Epiſtolam Commentarium* edidit. Sed, ô incertas hominum cogitationes ac lubricas! vt fuit æui breuis, reliquit præclarè inchoata multa, perfecta non planè. Fato vicinus, Cygnæa quaſi voce, ſic lætus cecinit:

Quod ſatis eſt, vixi, iam quina decennia natum
Mors rapit; heu nullus ſum, niſi CHRISTE *iuues.*

Humo conditur in Odeio Sodalium Dominicanorum CIↃ. IↃLXXIV. quo anno, Goletâ arce ſolo æquata, noſtri regno Tunetano, prô dolor, eiecti ſunt.

Matthæus Galenus.

LIBET nunc Academiæ Duacenæ Athletam vnum alterúmve è tanto nūmero producere in campū. Primus MATTHÆVS GALENVS prodeat, qui & hîc, & alibi virū ſe præbuit. Nam Louanium

uanium adoleſcens ad Theologiæ ſtudium profectus, decurſoq; ſtadio ſacra Laurea inſignitus, à Ruardo Tappero Dilingam Sueuorum ad publicam Diuinarum litterarum profeſsionem eſt deſtinatus; Petro Soto in Britanniam à Philippo II. Rege inde accito, & Guilielmo Lindano ad maiora in Belgium reuocato, ſuffectus. Triennio hîc laudabiliter exacto, à Senatu Duaceno euocatus, natæ nuper Academiæ Cancellarius (qui ſupremus ac perpetuus ibi magiſtratus eſt) renũtiatur. Doctor Fr. Richardoti Atrebatium Antiſtitis voce ſalutatus, prima ferè Theologicæ facultatis fundamenta poſuit. Rex Catholicus bene de Eccleſia ſcriptis ac voce merentem, Præpoſitum ad D. Amatum eſſe iuſsit. Samarobrinam (hodie Cameracum) ad Synodum Prouincialem miſſus, vnà cum aliis Patribus vtilia Belgicæ Eccleſiæ decreta conſtituit. Annos ipſos decem apud Catuacos profeſſus moritur CIↃ. IↃ LXXIII. funebri laudatione à Th. Stapletono Collega ornatus. Situs eſt in Æde ſacra illi credita. Bibliothecam in Germania ſtudioſè collectam, in patriam optimis libris refertam inuexit. Scriptores antiquos è tenebris eruit nonnullos, in his *Hildivvinũ* de Dionyſij Areopagitæ vita, ſcriptisq;, & *Alcuini* ad Carolum Magnum *Rhetorica*. De Theologicis ſcriptis excellũt potiſsimùm Libri *de SS. Sacrificio Miſſæ*, & *Catecheſes* ab auditoribus exceptæ, typiſque à funere evulgatæ.

Mat-

Matthias Boſſemius.

EXCIPIAT Galenum BOSSEMIVS, Zelandum Batavus. Cācellarius enim Academiæ Duacenæ proximè ſecutus eſt:quâ dignitate nec opinantē,nedum ambientē Philipp. II. vltrò ornauit. Domo Amſtelrodamus fuit; quę vrbs mercaturis potiùs faciūdis,quā ingeniis excolēdis dedita,habuit tamē Theologos,vt illis tēporibus,non vulgares, Alardum,Crocū,(quē BOSSEMIVS puer audiuit) Opmerū,ceteros. Seuerus in primis Eccleſiaſticæ ſeruator diſciplinæ,& rigidus in Clerū Cenſor,vt & vtilem *De domeſtica mulierum ſocietate Sacerdoti vitanda Commentarium* relinqueret: ſecutus, vt opinor,magnū illud Eccleſię lumē,D. Auguſt. qui ne ſororis quidem contuberniū ferret,ne,quę ad illā ventitarēt mulierculę,aliquā ignominię notā optimo Præſuli inurerēt. Piè ac prudēter ſanè vterque. Nam ad extremū vſq; ſpiritum,vt ille ait,fomes durat. Doctor vnà cū Guilielmo Alano pòſt Cardinale,Thoma Stapletono Britannis,& Ioāne Rubo Hānone renūciatus,annos ipſos xxxiij. publicū profitēdi munus cū laude ſuſtinuit. Præter multiplicē eruditionē,conſiliū,prudentiā, ceteraq; ingenij bona,ea fuit in homine iam inde à primis annis pietas, & innocentiſsimorū ſanctitas morū, iſq; perpetuus tenor vitæ ab omnibus voluptatū illecebris diſiūctus,vt priſcorū Eccleſię Patrum eximiū in eo ſpecimē eluceret: omneſq; qui piorū inſtituto viuere cuperēt,ſeſe in illius mores velut perfectiſsimi exēpli cōformarent. Vt felix in

lix in primis Vrbs Amſtelrodamenſis fuerit, quæ omnibus ferè tēporibus talia Eccleſię lumina tulerit. Facultates ſuas quas amplas eſt conſecutus, Eccleſiæ B. Amati Præpoſitus, alēdę in bonū publicū iuuētuti, teſtamēto legauit, Collegio Duaci ſub tutela Deiparæ Virginis inſtituto, & vectigalibus inſtructo. Ad meliorem vitā trāſiit vir pius, prid. Non. Febr. CIↃ.IↃ XCIX. duos & LXX. annos natus, conditusque eſt in Odeo Ædis, cui annos ampliùs XXVI. præfuerat.

Reinerus Snoyus

GOVDÆ apud Batauos honeſtè natus, felicis indolis adoleſcēs, humanioribus litteris probè perceptis, ad Philoſophię ac Medicinę ſe ſtudia cōtulit. Medica laurea donatus Adolpho Beuerorū Toparchę, tuēdæ valetudinis gratia, carus fuit. Cūq; lautā ſatis paterna hereditate rē poſsideret, & Cōſularis apud ſuos illi dignitas acceſsiſſet, contempto quæſtu, ſacra ſtudia amplexus, ſanādis potiùs animis, quā medēdis corporibus, DD. Coſmæ & Damiani exēplo, curā impendit. Qua de cauſſa Librū *De Chriſtiana libertate* edidit, quo eorū cōpeſceret veſaniā, qui dum hominis lib. arbitr. inficiātur, humanā tollūt naturā, hominēq; brutis animātibus exęquāt. Cuius quidem hominis libertatē vt Ethnici Philoſophi aſſererēt, pari impietate, quāquā ſtudio diſsimili, res humanas diuinæ prouidētię ſubtraxerūt. Extat & perſpicua eius *in Dauidis Pſalmos Paraphraſis* vocibus inſerta quā è præſtantiſsimorū Theologorum, ac præſertim Ioan. à Turre cremata ſcriptis elegāter concin-

concinnauit:latetq́; apud heredes *Hiſtoria Batauica* nondũ typis evulgata. Ad maturã vſq; ætatẽ peruenit; & *lætus vti ſemper vixit, ſic lætus obiuit* anno partæ per Virginem ſalutis CIƆ.IƆ XXVIII.

Martinus Duncanus.

BELGIS meritò doctrina claris annumerãdus es, DVNCANE, qui decurſo apud Grudios Philoſophiæ ac Theologię ſtudio, Guormarianę apud Batauos Eccleſiæ Præfectus, iam tum graſſanti Anabaptiſtico furori quà voce, quà ſtilo, murum te pro domo Dei obiecisti. Qui Delphis ſplendidiori, at non minùs graui curæ pòſt à Rege admotus, ac demum Hagæ Comitis Guilielmo Lindano in Decanatus dignitate ſuffectus, ſæpe eius loci Regium Senatum acriter monuiſti, vt naſcenti tum ſeditioſæ ac turbulentæ Caluinianorum ſectæ maturè occurrerent, atque in herbâ opprimerent. Illud identidem inculcās, hanc hæreſeos eſſe naturam, vt ea niſi initio opprimatur, incautos mox opprimat; verus nimis vates, vt qui poſteà cum iiſdem, quibus id toties denunciaueras, in exilium abire ſis coactus. Verùm extorrem Amorfortij læti libenteſque excepêre. Vigetque hodie per Batauiam vniuerſam nomen tuum, cum ob eximium pietatis zelum, tum ob eruditionem ſingularem; quarum teſtimonia pauca fortaſſe, ſed luculenta poſteris reliquiſti, plura multò habituris, niſi quæ verbis docebas, agendo potiùs quàm ſcribendo confirmare maluiſſes.

DECAS

DECAS IV.

Religioſi Viri.

LVDOVICVS Bloſius Hanno Abbas Lætienſis Ord. S. Bened.
Dionyſius à Leevvis Richelius Eburo, Carthuſianus Rurimundenſis.

Canonici, quos vocant Regulares, Ord. S. Auguſtini.

Thomas Kempenſis Menapius.
Martinus Lipſius Bruxellenſis.
Ioannes Garetius Louanienſis.

Ægidius Faber Bruxellenſ. Carmelita.

Dominicani.

Iacobus Hochſtratanus Brabantus,
ET
Petrus Baccherius Gandenſis Flander.

Franciſcani.

Franciſcus Titelmannus Haſſel. Eburo.
Adamus Saſboldus Delphius Batavus.
Petrus Caniſius Neomagus Geldrus, Societatis IESV.

Ludouicus Bloſius.

RELIGIOSORVM hominũ in cœtu LVDOVICVS BLOSIVS pius Abbas familiam ducat. Is nobili Bloſiorũ ſtémate apud Hannonios natus, ab ingenua educatione, & Nic. Clenardi inſtitutione bonas artes, ternáſq; linguas eruditas imbibit. Adoleſcens in Cæſaris aulam, vt nobilium mos eſt, à parentibus miſſus, illud Poëtæ veteris neſcio cuius animo agitans,

Qui volet eſſe pius, regalibus exeat aulis,

in Lętienſe vetus HannonięMonaſterium ſponte abſceſsit. Louanij ſtudiorum gratia agens, ſacras vt litteras hauriret, virtutis nomine abſens Ægidij Gippi decrepiti Abbatis Vicarius cõmuni Sodalium ſuffragio, & Rom. Pontifice approbante, ætatis anno ſecundo & viceſimo deligitur. Biennio pòſt demortui locũ excipiẽs, collapſam apud ſuos veterẽ diſciplinã inſtaurare ac reuocare animum induxit. Quo factum eſt, vt ſuis Decreta Paulli III. Pont. Max. diplomate firmata proponeret: eſtque hodie Belgica inter Cœnobia Lætienſe nulli ſecundum, cum ob diſciplinæ monaſticæ obſeruantiam, tum ob Bibliothecæ veteris, ac potiſsimùm ſacrarum reliquiarum cuſtodiam. BLOSIVS vſus etiã B. Ignatij Loiolæ in ipſis Societatis initiis per litteras familiaritate, eundẽ in pietatis negotiis itentidem conſuluit: & ab omni ambitione longè remotus Cameracẽſem Archiepiſcopatum à Carolo V. Cęſare, cui ab Eleëmo-

ſynis

ſynis olim fuerat, oblatum cõſtanter repudiauit. Apud ſuos itaque deliteſcere maluit, ratus, quod res eſt, verum eſſe illud Philoſophi à Plutarcho ſingulari Commentario celebratum LATENS VIVE;

Nec vixit malè, qui viuus morienſq; feſellit.

Vitam igitur ex Varriano præcepto, legendo ac ſcribẽdo procudẽs, Baſilij Magni, Caſsiani, Bernardi, aliorumque veterum, de Belgis verò Thomæ Kempenſis, Ioannis Ruyſbrouchij, Gerardi Zutphanij, & id genus piorum hominum exemplo, ſcripſit *Aſcetica*, quibus nihil ad homines à cura mortalium rerũ abducendos, atque ad cæleſtis patriæ amorẽ inflammandos, inueniri poteſt ardentius? E Beati quoque Auguſtini in Pſalmos Commentariis *Pſychagogiam* concinnauit: quæ omnia Iacobus Froius diſcipulus eius, & pòſt Abbas Haſnoniẽſis cõmodo publico à ſe collecta luce donauit; pleraq; vernaculè etiã reddidit. Atq; his quidem pietatis, mentiſq; in Deum exercitationibus BLOSIVS ſic orbem impleuit, vt & Carolus Imp. eas in ſinu, non ſecus atque Alexander ille Magnus in narthecio Homeri Iliadem, geſtarit, atque in ſolitudinem ad S. Iuſtum, abdicato imperio, ſponte ſe abducens aſsiduè lectitarit. Cuius veſtigiis pientiſsimus inſiſtens filius Philippus II. morti & ipſe vicinus vnicæ filiæ ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ Belgarũ nũc Principi familiares hoſce libellos ſibi auſcultãti quotidie legendos præcepit. Ceterum innocentiſsimæ vitæ BLOSIVS, annos natus vndeſexaginta in beatorum ſedes, commigrauit CIↃ.IↃLXVII.

vii.Idus Ianuar. ſibi quidē oportunè (dici enim non poteſt quàm corporis his compagibus cum D. Paullo ſolui optaret) patriæ verò citò nimis, quæ, eo ipſo anno fanaticum Iconomachorū furorem experta, cepit exindè

In peius ruere, ac retro ſublapſa referri.

Tumulum Sodales hoc carmine exornarunt.

Qvi tres exactè linguas callebat ab ipſa
Ephœbia, virtutum omnium narthecium,
BLOSIVS *heu cecidit; buſtoq; reconditur iſto*
Noſtri decus miraculumq; ſæculi.
Qui legis hæc, vita functo bona cuncta precare,
Et te para ad ſummi tribunal Iudicis.

Dionyſius Carthuſianus.

TOT tamque eximiæ virtutes nomen tuum DIONYSI commendāt, vt difficilius ſit in tuis laudibus exitū, quàm principium inuenire. Quid enim in te primùm mirer? Singularémne vitæ ſanctimoniam, qua DOCTOR apud omnes audis EXTATICVS? An ſolertem illam in illuſtrandis vniuerſæ Sacrę Scripturę libris induſtriam, laboremque inexhauſtum, quo alter pænè Didymus Chalcenterus plura poſteritati legenda reliquiſti, quàm vt legere quidquam alienum, inter tot diurnas nocturnaſque monaſticas exercitationes, potuiſſe videaris; ac retrò plura legiſſe, quàm vt ſcri-

ſcribendi otium ſuppeditaret? An acerrimã illam ac prope diuinam ingenij vim, mentiſque aciem, qua *Dionyſium* tuum *Areopagitam*, obſcurum aliis atque inexplicabilem; commentando planiorem reddidiſti? Vincit nimirũ omnia labor & ingenium. Neque ſtudiis tantùm deditus inter tuos latere potuiſti, vt qui negotiis Eccleſiæ tractãdis à Nicolao Cardinale Cuſano, Legato per Germaniam Pontificio, adhibitus, conſiliis vniuerſam Rempub. Chriſtianam egregiè iuuiſti. Vt verum eſſe illud Nyſſeni Gregorij deprehẽdam, Deum iam inde à Noachi eluuione, ſingulares viros ſingulis ætatibus, ceterorum velut duces & anteſignanos, extuliſſe.

Sed de DIONYSII noſtri vita, ſcriptíſque plura cognoſcere qui volet, libellum operum voluminibus hærentem legat, quem THEODORICVS LOERIVS Stratanus, Carthuſianus Colonienſis, ad Ioannem Houchtonum Priorem & Martyrẽ Londinenſem ſcripſit. Vixit autem vir innocentiſsimus DIONYSIVS ad extremum vſque ætatis tempus in Rurimundenſi Geldrorum Carthuſia, atque ad beatam vitam tranſijt IV. Idus Martij CIƆ.CCCCI.

TV Sacræ Hiſtoriæ clauis, luciſq; feneſtra es,
Magnum à te capiunt Biblica ſcripta decus.
Tu veterum vmbrarum DIONYSI *ænigmata pandis,*
Eruis & ſacris aurea ſenſa libris.
Ergo alter meritò, ſuccenſa luce, Prometheus
Diceris, Hiſtoriæ Solq; iubarq; Sacræ.

Thomas Kempenſis.

VETERES illos Patres cæleſtem in terris vitam imitatos laudibus extulit antiquitas; quippe qui, vt ab omni ſe vitiorum contagione puros atque integros ſeruarent, procul ab hominum cœtu in ſola loca concedentes, mente in aſsidua diuinarum rerum meditatione defixa, totam ætatem agerent. Horum ſanctiſsimorum virorum continentiam, morum caſtitatem, humanarum rerum cōtemptum, animi demiſsionem, avorum memoria THOMAS KEMPENSIS retulit. Is cognomēto *Malleolus*, vt primum per ętatem licuit, Dauentriam ad Iſalam fl. excolendi ingenij cauſſa ſe contulit: in qua vrbe tum liberalium artium pietatiſque ſtudia Sodales Hieronymiani, à *Gerardo verè Magno* ciue inſtituti, vehementer excolebant. His ille viris religioſis ſedulò adhæſit ad annum ætatis vſque viceſimū: quo anno in monaſterium Canonicorū D. Auguſtini in monte S. Agnetis, ad Svollā Transiſalaniæ vrbē, à Florētio Leyderdamio Gerardi diſcipulo excitatū, velut in portum ſe recepit. THOMAS loci Præfecto Florentij germano fratri de meliore nota commendatus, annos ipſos quinque religionis candidatum ſe geſsit; ſextoq; demum ſacrum habitum induit, atque inſequenti, voto ſe monaſtico obſtrinxit. In quo vitæ genere annos ipſos L V. tāta innocentiæ ſanctitatiſque opinione perſtitit, vt eius

eius videndi audiendique gratia, è remotioribus etiam locis cõcurſus fierent. Nam rogatus numquam abnuit, vel ex tempore de Verbo Dei diſſerere. In diuinis officiis piiſsimè omnia obiuit, & primus Odeium, vltimusque ſemper tenuit. Solitus etiam ſtatis diebus flagris in ſe ipſe ſæuire. Iunior Oeconomiã ſemel adminiſtrauit, bisq; ſodalibus prçfuit. Ad vitam meliorem tranſiit anno ætatis XCII. inſtauratæ ſalutis CIↃ. CCCCLXXI. VIII. Kal. Sextileis.

Statura fuit puſilla, vultu viuido, ſed fuſco, acie oculorum perſpicaciſsima, vt numquam, vel extrema ætate, vitreis ſit vſus ocularibus. Hodieque viſitur eius effigies, iniuria tamen temporis nonnihil oblitterata, hoc addito ſymbolo:

In omnibus requiem quæſiui, ſed non inueni, niſi in abditis receſsibus & libellis.

Varia conſcripſit Orbis terræ iudicio ac teſtimonio comprobata; in quibus illud mirandum, horrido illum cælo ac ſolo natum, cum Latini ſermonis munditıes neglecta iacêret, tantùm eſſe aſſecutum humili illo quod conſectabatur dicẽdi genere. Aureum illum *De Chriſti Imitatione* Libellum, & non modò de manibus numquam deponendum, ſed & ad verbum ediſcendum, tanquam pietatis myrothecium (vt iure omniũ gentium linguis hodie legatur) Gallia aliquando Ioan. Gerſonis nomine ſibi vindicare conata eſt. Sebaſtianus etiam Caſtalio, colore eo quæſito, vt Latiniùs ſcilicet loquentem faceret (quo ſupercilio? qua impietate?) nuper auſus eſt caſtrare quarto de SS. Euchariſtia Libro, quo nefarius Sacra-

mentariorum error iugulatur. Vt iure optimo illi Maronis iſtud quis accinat:

Frigidus, (ô pueri) fugite hinc, latet anguis in herba.

At verò ſceleratam atque effrenem hominis audaciam barbari hoſtis pietas, aliquanto pòſt tempore, contudit. Cum enim Societatis IESV quidam, ante annos plus minùs XXV. Argirium Mauretaniæ profectus eſſet, lytrum captiuis reducendis laturus; Rex eum in ſuam duxit Bibliothecam, varia librorum ſupellectile inſtructam: varios hic illi codices viſendos porrigit, atque in his libellum hunc vulgari Turcarum lingua redditum; adiecitque pluris ſe vnicum illum facere, quàm reliquos omnes Mahumetanorum. Præclarum ſanè vel ab hoſte expreſſum teſtimonium, quod, niſi grauiſsimis teſtimoniis niteretur, incredibile videri poſsit.

Martinus Lipſius.

MARTINVM LIPSIVM ciuem meum à ſe, & IVSTO LIPSIO Cl. V. cuius patruus maior fuit, celebrem, ſi prudens præteriero, improbus ſanè, ſi imprudens, negligens meritò videar. Fuit in hoc viro multiplex eruditio, exacta linguæ cum Græcæ tùm Latinæ cognitio, ſacrarumque rerum haud mediocris intelligentia. Illud verò ſolidę virtutis, ac pietatis ſpecimen fuit, quòd fallaces huius vitæ ſpes ſecum reputans, mente diuinitus

uinitus monita, vitæque ratione conuerſa, ambitioni vrbis aulicæ Bruxellenſis, in qua honeſto loco natus erat, ſe ſubtraxit, & diuino ſe cultui totum mancipans, in vetuſtū ſub B. Martini patrocinio Canonicorum D. Auguſtini Louanienſe Cœnobium, velut in portum ſe recepit. Hîc in Bibliothecam ſe abdens *Macrobij, Hilarij, Auguſtini, Hieronymi*, aliorumque veterum Scriptorum opera cum membranis comparando, eadem mirificè illuſtrauit. *Chromatij* etiam *Homilias*, & *Symmachi Vrbis Præfecti Epiſtolarum Libros* II. luce donauit. Pòſt, vt erat ſingulari prudentia, Sodalibus ſuis præfectus, in mediis etiam muneris ſui curis moleſtiiſque, nullam animo requietem dedit. Neque ſuis dumtaxat laboribus Reipub. prodeſſe ſtuduit, ſed & diſcipulos, in his Caretium, Latomum, Coſterium, Vlimmerium, qui in eâdem bene merendi palæſtra diu multumque deſudarunt, eduxit. Ætate grauis, Crucelenſicis agri Leodicenſis, ad Huenſe oppidum, ſacris Virginibus Cœnobiarcha datus, eximia morum innocentia complures annos præfuit: ibidemque cum veteribus amicis, id eſt, libris aſsiduè verſatus, placidiſsima demum morte pius ſenex è vita exceſsit CIↃ. IↃLV. Sodales Martiniani gratitudinis ergô Louanij hoc illi monumentum poſuêre.

MARTINVS LIPSIVS BRVXELLENSIS VIR EGREGIE DOCTVS ET QVI PERPETVO STVDIIS QVIBVS ET IMMORTVVS EST INCVBVIT IN CASTIGANDIS VETERIBVS AVCTORIBVS VSQVE AD SVPREMVM SPIRITVM INSVDANS TESTANTVR ID OPERA HILARII AVGVSTINI ET ALIORVM MVLTORVM EX IPSIVS RECOGNITIONE EDITA TESTIS EST ET IPSE MACROBIVS CVM SYMMACHO AB ILLO CASTIGATVS

FVIT PRAETEREA VIR ISTE ERASMI ROTEROD. AMICITIA ET SCRIPTIS EPISTOLIS SATIS CLARVS PRAEFVIT MONASTERIO CRVCELENSICO CVM MVLTO IPSIVS COENOBII FRVCTV.

MORITVR ANNO CIↃ. IↃLV. MARTII XXIV. IBI HONESTE SEPVLTVS.

SQuallida multa ſitu veterum monumenta iacebant,
Abdebatq́; ſuo Bibliotheca ſinu.
Eruit hæc tenebris, & caſtigauit vterque
LIPSIVS, *antiquum reſtituitq́; decus.*
Sic par conditio eſt : MARTINVM *ſacra decebant,*
IVSTVS *Romanam reddidit Hiſtoriam.*

Ioannes Garetius

LOVANII natus, atque in ſtudiis feliciter educatus, cum eidem Martiniano in patria monaſterio ſe dicaſſet, Miſhagenſibus agri Antverpienſis Virginibus ſacris præficitur. Quibus aliò com-

commigrantibus, ipſe Gandauũ ad ſimilem prouinciam accerſitur; vbi in Corn. Ianſenij Antiſtitis doctiſsimi familiaritate acquieuit. Cumq; imminentem Belgicæ cladem animo prouideret, cœpit, vt erat antiquitatis peritiſsimus, *Claſſes* IX. de vera Corporis Chriſti in SS. Euchariſtiæ Sacramento præſentia, aduerſus Sacramentariã peſtem, è ſanctis vtriuſque linguæ Patribus, ætatis cuiuſque habita ratione, ſumma induſtria colligere, ac bono publico foras dare. Sed & mortuos viuorum precibus iuuari, Sanctóſque à nobis rectè inuocari, quæ in dubium vocari à ſectarijs ſolent, adiutante Iac. Pamelio Brugẽſi, pari methodo adſtruxit. Vir certè de Eccleſia quà ſcribẽdo, quà concionando (nam & disertè ad populum de verbo Dei diſſerebat) bene meritus, & à Franc. Turriano ac Rob. Bellarmino Soc. IESV Theologis, doctrinę atq; induſtrię nomine, apprimè laudatus. Gandauo Louaniũ fortè veniẽs, à Sodalibus humaniter exceptus, calculi, qui familiaris doctorum hominum morbus eſt, doloribus exſtinguitur anno CIↃ. IↃLXXII. ita Deo iubẽte, vt vbi primum ſpiritum hauſerat, ibidem nouiſsimum redderet, nec alia mortuum terra tegeret, quam ea in quâ Chriſto Seruatori votis ſe monaſticis obſtrinxiſſet. Iuſta carmine perſoluit Io. Latomus Collega.

REctè perpetuo tenore vitæ,
Et conſtanter, & ad perennitatem,
Doctos qui coluit, pios & omnes,
Non ipſe impia, quæ nocere poßint

Sectatus

Sectatus ſtudia, eruditus ipſe
Hanc GARETIVS *vrnam habet, ſituſq;*
Hîc eſt. Cum Aonidum choro vel vllum
Si commercium habes, Deum preceris,
Exhortor moneoq; te viator;
Eum denique carne qui ſoluta
Humanas animas laborioſis
Viuentum precibus docet iuuari;
Ne grauêre pios iuuare Manes.
Lectis & violis, roſiſq; caſta
Illius venerare buſta, famâ
Qui notiſſimus, editiſq; libris,
Indelebile prorſus obtinere
Nomen perpetuis meretur annis.
Etſi vermis homo, ciniſq; fiat,
Morte & palliduli cadant ocelli;
Nullo vnquam, meliore qui per orbem
Viuit parte ſui, interibit æuo.
Dum clari Phario ſolo Coloſſi
Stabunt, nomen erit GARETIANVM.

MEMORIAE F. IOANNIS GARETII CANONICI ORD. S. AVGVSTINI ECCLESIASTAE CELEBERRIMI ET SS. LITTERARVM STVDIOSISS. QVI MORTEM OBIIT IPSO D. AGNETIS

ANNO CIƆ. IƆLXXI.

Ægi-

Ægidius Faber.

QVÆ tria M. Tullius in Oratore deſiderat vt doceat, vt delectet, vt moueat; ea ſummè ÆGIDIVS FABER tenuit, ſic vt rem illuſtraret diſſerēdo, & animos audientium deuinciret voluptate, eoſdemque permoueret atque incitaret. Quo factum, vt cùm auditum eſſet, eum eſſe dicturum, loca in ſubſellijs occuparentur, templa cōplerentur, corona multiplex, & auditor omnis adſtaret erectus. Erat enim in eo, vt illis tēporibus, eximia doctrina, diuina memoria, ſumma cū ſacræ tum profanæ Hiſtoriæ cognitio: atque hæc omnia vitæ decorabat grauitas & integritas. Quibus nominibus eum auctoritatis locū apud Maximilianum I. Cæſarem eſt aſſecutus, vt ſuis eum conſiliis plerumq; adhiberet, & plurimis Carmelitana apud Belgas Cœnobia beneficiis afficeret; atque in his Bruxellēſe ſolemni etiā Equitū aurei Velleris inauguratione illuſtraret. Ceterum FABER apud Louaniēſes Doctor Theologus creatus, huic publico de ſe teſtimonio neutiquam defuit. Obiit Bruxellis in patria, eo ipſo anno quo delicium humani generis Philippus Caroli V. Cæſ. parens in ipſo ætatis flore, apud Hiſpanos fato ereptus eſt.

Iaco-

Iacobus Hochſtratanus, ET Petrus Baccherius.

DVos hoſce fortiſsimos in Hæreſes Athletas, vt profeſsionis atque ingenij ſimilitudine coniunctos, ſub vnam, quod aiunt, myconem includam. IACOBVS Campania Brabantica oriundus, municipium natalis ſoli non incelebre cognomine refert. Fuit Dominicanæ familiæ Doctor Theologus inſignis, & Profeſſor Colonienſis; vir ſanè doctus, ſtrenui, fortis & infracti animi, quique ſuæ profeſsioni nequaquam defuit: niſi quòd pro ſeculi infelicitate non ſatis fortaſſe politiori litteratura tinctus, illius æui ſciolis calumniãdi dederit occaſionem. Eccleſiaſticæ diſciplinæ in fugandis arcendiſque Hæreticis tum naſcentibus, vique irrumpentibus plurimos annos vigili cura atque indefeſſo ſtudio præfuit, ſumma cũ Belgicarum, tum Colonienſis, Treuerenſis ac Moguntinæ Eccleſiarum vtilitate. Quo factum, vt & Hęreticorum, & hęreſeos nouitati fauentiũ acerbiſsimum in ſe odium cõcitârit, qui nec mortuo parcentes, eius hoc tumulo carmen affixêre:

Hic iacet HOCHSTRATVS, *viuentem ferre patiq;*
Quem potuêre mali, non potuêre boni.

Veriùs tamen maledicus Poëta dixiſſet:

Hic iacet HOCHSTRATVS, *viuentem ferre patiq;*
Quem potuêre boni, non potuêre mali.

Fuit

Fuit namque inter primos, qui gladium ſpiritus (is iuxta Apoſtoli ſententiam Verbum Dei eſt) in voluptuariam Lutheri apoſtatæ ſectam, editis libris ſtrinxerunt. Scripſitque *De Fide & Operibus, De Purgatorio, De Libertate Chriſtiana,* aliiſque de rebus, cùm ad Theologiam, tum ad Philoſophiam, quæ de moribus eſt, pertinentibus. Senex exceſsit è viuis Coloniæ Agrippinæ CIↃ. IↃXXV. Domino quidem ipſo fideliſsimum ſibi ſeruum anno Iubilæo quaſi manumiſſum æternæ libertatis præmio donante.

At PETRVS BACCHERIVS ad ſolidam doctrinam, quâ, vt Doctoris Louanij laurea donatus, in principibus ætatis noſtræ Theologis numerabatur, miram verſatilis ingenij felicitatem adiecit, vt nemo ingenuis artibus, ac Poëtica præſertim, illo inſtructior haberetur. Accedebat vberrima quædam excogitandi, atque efferendi cum lepôre quæcumq; vellet facultas, vt Belgicis iſtis tumultibus (quos Panicos ipſe appellat, & eleganti Carmine deſcripſit) nemo maiore & firmiore argumentorum copia, Hæreticorũ commenta, Bruxellis, Antverpiæ, Gandaui, Hagæ Comitis, Dordraci, Calcariæ Cliuorum, aliiſque in locis annos ferè LX. de ſuperiore loco retuderit. In quibus perpetuò inſectandis atq; exagitandis, patroni ſibi cognominis B. Petri Martyris exemplo, vehementiſsimus & acerrimus fuit, cùm ea eſſet in animis hominum permouendis facultate, nemo vt temporibus illis, cũ de rebus omnibus, quæ ad populum ab Oratoribus dicebantur, peracria, & exquiſita iudicia fiebãt, maiorem

iorem audientium coronam cogeret. Neque voce tantùm, ſed & ſcriptis, quæ præter *Homiliarum* volumina, poſteris varia reliquit, religionis cauſſam gnauiter egit; atque alia nonnulla nos apud Sodales heredes, breui, vt ſpero, in lucem proferenda, vidimus. Moritur vir pius Gandaui in patria, anno ætatis quarto & octogeſimo prid. Id. Febr. CIƆ. IƆCI. Max. Vrintius ciuem ſuum his verſibus celebrauit.

BACCHERIVM *toties bacchantem in toxica Beza,*
Dira Lemannigeni dum timet Hydra lacus;
Horruit, & rabie, furijſq; accenſa malignis;
Qualis vbi à thyrſo concita Baccha ruit;
Intima cognati perrumpit in atria Ditis,
Et Mortam ex Erebo peſtifero ore vocat;
BACCHERIVMQVE *neci depoſcit; at illa repente*
Aduolat, & telo ſternit iniqua Virum.
Ille iacet, calumq; ſubit nouus hoſpes, at atra
Tartara Mors, Hydrâ concomitante, legit.
O Superi ſemper ſic impia cauſſa triumphet!
O Superi ſemper ſic pia cauſſa cadat!

Franciſcus Titelmannus.

FRANCISCI TITELMANNI eximiæ virtutis doctrinæque memoriam perpetua grati animi veneratione proſequi debet Leodicenſis ditio: cuius ex oppido Haſſeleto, Reip. vniuerſæ com modo, prodiit. Quãta porrò in hoc viro Philoſophię ac Theologiæ peritia fuerit, loquuntur hodieque

dieque *Dialectica Præceptiones, Rerumq; Naturaliũ Cõſiderationes*, & docti in pleroſque *veteris ac noui Inſtrumenti Libros Commentarij*. Ad hæc rara quædam pietas acceſsit; quàm ſingulari fragrantiâ ſcripta eius vniuerſa ſuauiter ſpirant, cuiusque per omnem ætatem documenta dedit certè maxima. Siquidem, rebus ſæcularibus valere iuſsis, cùm Franciſcanæ familiæ nomen adoleſcens Louanij dediſſet, morum ſanctiſsimorum commendatione ſodalibus ſuis mirificè præluxit: quos etiã ſacris litteris annos multos imbuit, & Nouatorũ fraudes, vt zelo domus DEI ardens, primos inter detexit. Inde Lutetiam Pariſiorum profectus, audito rigidiorem ſui ordinis regulam in vſum reuocari, ad ſupremum pietatis apicem totis præcordiis anhelauit. Anno itaque CIↃ. IↃXXXVII. cum duobus eiuſdem ſententiæ ſociis, Romam venientem Bernardinus Daſtius Capuccinorum Præfectus Generalis in ſuorum numerum libens volensque recipit. Hìc quamquam latere vellet, & leproſis piam aſsiduè ſedulitatem impederet, Summo tamen Pontifici Paullo III. & Campegio, Quiñoni, Santſeuerino, aliiſque Cardinalibus mox innotuit. Ferunt, dum leproſos curat, à diſcipulis Belgis, Romam fortè Religionis gratia proficiſcentibus, officij cauſſa, de via ſalutatum; Quibus rogantibus, cùr non hìc, Pater, vt olim Louanij, ſacras litteras profiteris? Ille ad leproſos eos deducens; Ecce, inquit, oſtenſis ægrotis, Hic meus Auguſtinus, Hieronymus, Chryſoſtomus & Baſilius eſt. Contemplationem ad actionem reuocandam eſſe ſignificabat vir verè pius.

Pòſt Rom. prouinciæ Præfectus datus optimè rem geſsit, moriturque Anticoli Romano in agro CIↃ.IↃLIII. cùm vix ſextum & quadrageſimum ætatis annum attigiſſet. Cuius ſanctitatis opinio adeò mentibus hominū inſedit, vt ad mortui corpus, quod annos aliquot integrum manſit, diebus multis continenter hominū concurſus fieret. Meritò igitur Eburonū Eccleſiæ gloriari liceat, præter innumeros ſuperiorum ætatum ſanctiſsimos viros, & hunc tam clarum Chriſti diſcipulum patrum memoria protuliſſe.

TE mens alta rapit; Naturæ arcana parentis
Pingis, & æquali dogmata ſacra ſtilo.
Te mens alta rapit; nam te ſtrictiſsima vitæ
Semita Romanum cogit adire ſolum.

Adamus Saſboldus.

ADAMI SASBOLDI nomen eruditio ſingularis, & pietas eximia nunquā interire patiētur; quarū teſtimonia pauca quidē, ſed luculenta edidit, plura haud dubiè poſteris relicturus, niſi maiorē vtilitatis publicæ, quàm valetudinis curā gerere maluiſſet. Is Delphis Batauorū patritia familia natus, vtriuſq; linguæ diuitiis apud Vltraiectinos comparatis, adoleſcens Louaniū ſe cōtulit; vbi & Hebraicas litteras iunxit. Mox & Theologię ſtudia ſectatus, Ioannem Haſſelium, qui in Tridentina Synodo Theologus obiit, diligenter audiuit. Cuius etiam

etiam dictata *in Iſaiam, & Paullum* in ſcholis excepta, & poſtmodum Sodalibus prælecta, ambitioſè nimis quidam huic à funere adſcripſerũt. Nam ſeculi pertæſus, cùm inter æquales excelleret, mutata velificatione, religioſum vitæ genus animo agitare cœpit. Sed vt deliberatio de certo vitæ curſu ineundo omnium ſolet eſſe difficillima; multa eaque dubia & impedita cogitatio fluctuantem adoleſcentis animum exagitauit. Cum piis itaque hominibus, in his Timanno Pontificij Collegij Præſide, quem defunctum pro funere laudauit, communicato ſępe conſilio, cùm anceps animi pendêret, multiſq; cogitationum fluctibus agitaretur (vt ipſe in eleganti Homilia de Magis habita profitetur,) Deo precibus, medidatione, nocturniſque vigiliis demum conſulto, in Franciſcanam familiam illo impellente vocari ſe ſenſit. Eam itaque iniit hoc condito teſtamento:

Qvàm ſit vita breuis, quàm ſit via lubrica, quamq;
Mors incerta, bonis quæ præmia, quæq; parata
Sint tormenta malis; horum meditatio noſtra eſt.
Quod facimus, quod firmamus, quod & eſſe perenne
Optamus teſtamentum. Saluete, valete,
Care Pater, cari fratres, caræq; ſorores.

Mox ſuis (quam docẽdi prouinciam antea Franciſcus Titelmannus geſſerat) ſacras litteras explanare cępit. Cumq; incredibili Dei zelo flagraret, & mira ſupra ætatem valeret facundia, ſæpe ad Clerum Latinè, ad populum vernaculè verba

fecit. Teſtes ſunt *Homiliæ* eius ampliùs triginta, nō minùs venuſtè quā piè cōſcriptę, quę in manibus ſunt. Sed vt nihil eſt in rebus humanis proprium ac perpetuum, non diu vitalis, ætatis ſexto & triceſimo, quaſi terris tantùm oſtenſus, ante diem ereptus eſt, anno ſalutis per Virginem partæ CIↃ. IↃ LIII. conditúſque Louanij, his verſibus tumulo appenſis.

*A*DAMVS *nomen, Batauì mea patria Delphi;*
Progenies SASBOVT *non inhonora fuit.*
Traiectum Latias, & Græcas tradidit artes:
Louanium Hebræas addidit, atque Sacras.
Quas vt proferrem, (culpa eſt ſepelire talentum,
Et Domino vſuras non ſoluiſſe ſuas,)
Commoda viſa mihi FRANCISCI *ſemita: at illam*
Dum ſequor, in mediis curſibus eripior.

Cornelius Muſius Delfus amico poſ.

Petrus Caniſius.

VT magnum illud Eccleſiæ lumen Auguſtinus olim in Africa Manichæos, Donatiſtas, & Pelagianos; ſic noſtræ ętate Lutheranos, Caluiniſtas, & Anabaptiſtas in Germania ſtrenuè CANISIVS oppugnauit. Is Neomagi (quod vetuſtum ac celebre Sugambrorum, Ducatus hodie Geldrici, oppidum eſt ad Vahalim fl.) patre Conſulari CIↃ.IↃ XXIV. natus, adoleſcens ob varias ingenij dotes Moguntiæ celebris fuit. Eò tum fortè

Coloniâ Agrippinâ Petrus Faber Allobrox, vnus in X. primis Ignatij Loiolæ ſociis, veniens, Petrum morum innocētia & doctrina ſingulari ſibi carum in Societatē IESV adoptauit. Pòſt in Italiam miſſus, primus Sociorum Rhetorica in Sicilia docuit; Ciceronem quotannis aſsiduè legens: vnde eam ſibi eloquentiam graui Theologo dignam comparauit, vt ſæculi ſui Hieronymus audiret. Inde euocatus ab Ignatio, mittitur ad Guilielmum Bauariæ Ducem, Ingolſtadij Scholaſticam, quam vocant, Theologiam profeſſurus, Alfonſo Salmerone, & Claudio Iaio Collegis. Sed & alias Germaniæ Academias, in eis Viennenſem Auſtriorū, Pragenſem Bohemorum, Dilinganam Sueuorum, Colonienſem Vbiorum, Friburgenſem Heluetiorum docendo illuſtrauit. Concionibus autem (nam & Germanica lingua diſertus erat) in aulis Ferdinandi & Maximiliani Impp. Guilielmi & Alberti Bauariæ Ducū, Ottonis Truchſij Cardinalis Auguſtani, aliorúmque Principum plurimùm valuit. Ferdinando Cæſaſari imprimis carus acceptúſq;, cuius etiā auctoritate ac iuſſu *Catechiſmum* verè aureum bono publico conſcripſit: quem ciuis eius ac propinquus PETRVS BVSÆVS Soc. eiuſdem Theologus, citatis è SS. Patribus integrè locis, mirificè illuſtrauit. Eiuſdem quoque Imperatoris auſpiciis, Pragæ primus Collegij Societatis fundamenta poſuit, quo Huſsitarum ac VViclefiſtarum hæreſes infringerentur. Et mox Ignatius Germaniæ Prouincialem Præfectum inſtituit. Cumque ea ferè tempeſtate Miniſtri Magdeburgenſes, ſumptibus

Proteſtantium in Germania Principum, Centurias, hoc eſt, mendaciorum plauſtra euulgaſſent, primus ferè CANISIVS pro Deipara Virgine, & Chriſti Domini Prçcurſore Ioanne, validus Athleta pugnauit; edito ingenti *De corruptelis Verbi Dei*, volumine, quo petulanter atque impiè Diuis inſultantium Hçreticorum calumnias diſsipauit. Annis iam plurimis docendi concionandiq; munere conſumptis, quç cogitata primùm, rectéque obſeruata de SS. Apoſtolorum dictis factiſque contra Sectarios in Aduerſaria retuliſſet, quæque in Euangelia anni totius legendo piéque meditando notaſſet, litterarum monumentis diſertè conſignauit; vocauitq; *Notas ac Meditationes Euangeliorum, feſtorumq; anni dierũ*: iis ſanè perutiles, qui de ſuperiore loco cum ſpiritu fructuq; de verbo Dei diſſerere, ad populumq; verba facere, in tanta Homiliarum copia, ſtudet. Apud Heluetios ad extremam vſque çtatem degens, adeò carus fuit, vt eripi ſibi innocentiſsimum virum minimè paterentur. Naturæ cõceſsit non ſine opinione ſanctitatis, Friburgi in Heluetiis CIↃ. IↃXCVIII. ſenex quidem, & ætate adfectâ, qui tamen propter excellentem doctrinam atque virtutem, videbatur omnino mori non debuiſſe.

QVis Fidei expediet myſteria? PETRVS *opellâ*
Exiguâ Fidei grande recludet opus.
PETRVS, *quem coluit felix Germania Patrem,*
Quem ſtupuêre olim Curia, Templa, Schola.

DE-

DECAS V.

IVRECONSVLTI.

Præſides.

NICOLAVS Euerardus Middelburgius cum liberis.

Viglius ab Ayta Zuichemus Friſius.

Ioachimus Hopperus itidem Friſius.

Franciſcus Balduinus Atrebas.

Iureconſulti Louanienſes.

Franciſcus Craneveldius Nouiomag.

Iudocus Damhouderius Brugenſis.

Petrus Peckius Ziricæus.

Ioannes VVameſius Leodicenſis.

Iureconſulti Duacenſes.

Iacobus Ræuardus Brugenſis.

Boëtius Epo Friſius.

Nicolaus Euerardus, & liberi.

PRædicet antiquitas Mucios, quorũ aliquot continenter Iureconſulti fuêre. Plures certè hęc Nicolaïorũ familia extulit. Caput & parens Nic. Everardvs Middelburgi in Valacria Zelandiæ inſula natus, varia eruditione & iudicij acumine (quod vel *Topica* eius *Legalia* cõprobant) doctos inter ſui æui viros inclaruit. Dialecticam enim ratiocinationem, quam plerique legulei hodię ſupercilio quodam temerè contemnunt, Iuris Sacerdotibus neceſſariam eſſe, ante Vdalricum Zaſium, cõmonſtrauit. Hinc Doctor apud Grudios renũciatus, Batauis Præſes à Principe datur. Quam prouinciam annos ipſos duodeuiginti ſumma fide vigilantiaque ſuſtinuit, donec ad ſummi Senatus Belgici Præfecturã à Carolo V. Cęſare Machliniã accerſitur. Vbi & in viuis eſſe deſijt CIↃ. IↃXXXII. ſi tamen ille deſiiſſe cenſendus eſt, qui liberos quattuor, *Euerardum Nicolaium, Nic. Grudium, Hadr. Marium, & Io. Secundũ,* partim Iuris Ciuilis, partim Poëticæ tractatione claros, poſt ſe reliquit, in quibus veluti renatus ipſe immortalitatis fructum perciperet.

Everardvs natu maximus annos multos Ius ciuile Ingolſtadij apud Bauaros magno applauſu publicè interpretatus eſt, & *Iuris Ciuilis* ibidem *Methodum* evulgauit. Pòſt Friſiæ Senatui, ac demum Machlinienſi, vt parens anteà, admotus, munus ad annum vſque CIↃ. IↃLXI. prudenter geſſit.

geſsit. Huius filij *Nicolaus* Ius Ingolſtadij poſt patrem profeſſus eſt, & *Gaſpar* Spirenſis Prætorij Adſeſſor fuit; vt quaſi genio quodam familiæ iuridicundo ſinguli præfuiſſe videantur. Sed & ſacros honores in ſplendidiſsimá hanc familiam, ne quid ad cumuláda gentis decora deeſſet, *Petrus* Doctor Theologus, & *Iſabella* Virgo ſacra Latinè docta NICOLAI Præſidis ſenioris liberi, intulerunr. Ceteros tres eruditos fratres in Poëtarum claſſem retulimus.

Tumulus Nic. Euerardi Machliniæ ad D. Mariæ.

D. O. M. S.

CLARISSIMO D. NICOLAO EVERARDO MIDDELBVRGENSI SVMMI CONSILII PRAESIDI MARITO CARISS. PATRIQVE PIENTISS. VXOR LIBERIQ. CVM LACRYMIS POSS. VIXIT ANNOS LXX. OBIIT ANNO A SALVTE RESTITVTA CIↃ. IↃXXXII. V. IDVS AVG.

IVra velut tenebris iamdudum offuſa iacebant,
Pæneque Lethææ ſub pede mortis erant.
Aſtræa ad Grudios rediit te vindice campos,
Iuráque Romani quæ coluêre patres.

Tumulus Euerardi NicolaI ibidem.

CLARISS. CONSVLTISS. DOCTISSIMOQVE VIRO AC D. EVERARDO NICOLAI EQVITI AVRATO ET SVMMI BELGICAE CONSILII PRAESIDI PARENTI PIENTISSIMO LIBERI MOESTI POSVERE.
VIXIT ANNOS LXIII. OBIIT ANNO A CHRISTO NATO CIↃ. IↃLXI. VI. IDVS MAY.

REQVIESCAT IN PACE.

Viglius Zuichemus.

SECVNDVM hac in claſſe ſuo ſibi iure locum VIGLIVS ZVICHEMVS vindicat, doctiſsimus ipſe, & eruditorũ fautor egregius. Is paterno in prędio, haud procul à Leouardia Friſię metropoli, antiqua & nobili familia natus puer in Iac. Volcardi, viri Græcis Latinisque litteris pereruditi, diſciplina fuit. Quo cum Louanium profectus Conr. Goclenium, & Rutg. Reſcium vtriuſque linguæ Profeſſores, ſtudioſè diligenterq́; audiuit. Guſtatis ibidem Iuriſprudẽtiæ fontibus, Dolanã Sequanorum Academiã adiit. Triennio hîc exacto, luſtratisq́; Galliæ Academiis, Valentiæ Cauarum ſubſtitit, & vrgentibus Academiæ Profeſſoribus, Doctoris lauream accepit. Andr. Alciato, quo familiariter vſus fuerat, in Italiam reuocato, apud Biturigas in docendi munere ſubrogatur. Pòſt in Italiam venienti, nec opinãti, ac pęne repugnanti, de ſuperiore loco Cæſareas Inſtitutiones interpretandi prouincia à Patauinis demandatur. Hîc præclaros illos *In X. Titt. qui de Teſtamẽtis* Commentarios adornauit; ſibique non tã popularis auræ captandæ, quã bene de Repub. merendi ſtudio excidere paſſus eſt. Quo quidẽ libro, ſi molem ſpectes, in ſpeciem fortaſſe exiguo; ſin rerum vtilitatẽ, ponderumq́; momenta æſtimes, diffuſis aliorum voluminibus anteponẽdo, (magnum enim librum magnum malũ Callimachus Grammaticus appellabat, Domitius verò Piſo, libros theſauros eſſe debere iudicabat) Italiam quã

patet

patet, doctrinæ fama cõturbauit, & præclarum illud Alciati Elogiũ promeruit *Magna ſpes altera Roma*. Bibliothecæ Cardinalis Beſſarionis Reipub. Venetæ teſtamento legatæ, quæ ad D. Marci adſeruatur, inſpiciendæ poteſtatem adeptus, *Theophili Græcas Inſtitutiones* eruit, atque in patriam auectas, à Rutg. Reſcio Typographo Græcè doctiſſimo, cum præfatione erudita ſanè ac laborioſa, Louanij edendas curauit. In patriam, qua XIV. ipſos annos caruerat, reuerſum Carolus V. Cæſar Spirenſi in Senatu Conſiliarium renuntiauit. Inde à Guilielmo Bauarorũ Duce amplo ſtipendio euocatus, ius ciuile annos ampliùs quattuor in Academia Ingolſtadiẽſi, magno auditorũ cõcurſu, interpretatus eſt. Sed patriæ ſe potiùs, quã exteris, ex Platonis ſentẽtia, natũ cogitãs, oblatũ in ſupremo Machliniẽſi Senatu Magiſtratũ amplectitur. Crebris demũ legationibus clarus, ſanctioris Cõſilij Pręſes à Cęſare renũtiatur, & Equeſtri honore inſignitus, Ordinis aurei Velleris Cancellarius ſalutatur. Vxore Iacoba Damantia, nulla prole ſuſcepta, è viuis ſublata, ſacris initiatus, ampliſsima ad S. Bauonẽ Gandaui Præpoſitura donatur. Louanij ſenex auguſtũ Friſiorũ genti Collegium magnis impendiis à fundamẽto exſtruxit, & vectigalibus dotauit. Moritur Bruxellę ſeptuagenarius CIↃ. IↃLXXVII. poſtrid. Non. Maias, & Gandaui ad S. Bauonem conditur in Mauſoleo, quod ſibi viuus ponendum curauit.

Statura erat mediocri, mẽbris bene cõpactis, ac decentibus, cute candidiſsima, capillitio infra albedinem albicante, fronte lata, vultuque amabili.

Max.

Max. VrintI.

Q*Vi curas Regum, & Regnorum pondera obiuit*
PERVIGIL, *hoc dormit* VIGLIVS *in tumulo.*
Parce pios, Lector, Manes turbare, quietem
Hac poſt tot VIGILES *vindicat vmbra dies.*
At VIGILIS VIGLI *exemplo* VIGIL *eſſe memento:*
Nil etenim VITA *eſt, ſit niſi* VITA VIGIL.

VITA MORTALIVM VIGILIA.

Ioachimus Hopperus.

PARI doctrinæ rerumque geſtarum gloria ſuperiores IOACHIMVS HOPPERVS ſubſequitur. Is antiqua Hopperorum familia Snecæ in Friſia natus, adoleſcens Louanium excolendo ingenio proficiſcitur. Philoſophiam grandior natu Platonicam potiſsimùm ſectatus eſt, quòd illam Reipub. adminiſtrandæ in primis vtilem iudicaret. Nactus in Iure Ciuili optimos præceptores, in his Io. Haſium, & Gabr. Mudæum, ingentes ſtudiorũ progreſſus fecit. Triẽnio hîc exacto, Lutetiam Pariſiorum, deinde Aureliam ſe contulit, Gallicæ potiſsimùm linguæ diſcendæ. Pòſt Louanium reuerſus Doctoris laurea inſignitur, & magno applauſu concurſúque auditorũ publicè *Iuris artem* profitetur. *Artem* inquã, quã primus ipſe, libro etiam ad id edito, in ſcholas inducere conatus eſt; quòd M. Tullium olim optaſſe legiſſet

giſſet, Iuriſprudentiam ad artē redigi. Creſcente, vt fit, viri famâ indies, à Margarita Auſtria Duce Parmenſi, quæ tum Belgis Philippi II. Hiſp. Regis fratris ſui nomine præerat, in Machlinienſem Senatum adlectus eſt. Inde Bruxellam euocatus, in ſanctius illud Conſilium, quod Rerum Statúſque vocant, ab eâdem adſciſcitur. Eximia quędam illi dexteritas erat in rebus obeundis, ac prudentia ſingularis. Teſtis eſt vel Academia Duacena, cuius inſtituendæ cùm Triumuiros Ant. Perenottum Cardinalem, Viglium Præſidem, & HOPPERVM Rex Philippus feciſſet; illi mox HOPPERO ſuas partes commiſerunt. Quem & parentis loco Duacenates perpetuò coluerunt, & vita functum pro funere laudârunt. Pòſt Carolo Tiſnacio V. Cl. cui apud Regem in Hiſp. rerum Belgicarum cura commiſſa erat, ad ſuos reditum poſtulante atque impetrante, IOACHIMVS à Rege in Hiſpaniam euocatur. Initio huius Magiſtratus triſtis illi nuntius accidit, rebus nouis in Religione ſtudere Belgas cœpiſſe, oblato ſupplici libello ſeditionis pleno. Qua in re fidum Regi, conſtantemque animum in Religione exhibuit. Quamobrē Rex Equeſtris illi dignitatis, iiſdē ſolemnibus, eodemque die, quo Ioanni Auſtriaco Turcicæ claſsis poſtea victori, inſignia detulit. Nouennio in Hiſpania feliciter tranſacto, & grauiſsimis interea laboribus exhauſtis, in phthiſin incidit, qua leniter extinctus eſt Mātuæ Carpetanorum (Madritum vulgò vocant) XVIII. Kal. Ian. anno reparatæ ſalutis CIↃ.IↃLXXVI. ætatis LIII. conditusque in Æde SS. Trinitatis.

Procero

Procero fuit corpore, & virili dignitate, flauo crine, fronte lata, oculis cæſiis, naſo intermedio tubere ſublimi, humeris latis, amploque pectore. In mediis curarum vndis, Reique publicæ adminiſtrandæ negotiis, ſacras etiam litteras pius homo tractabat, & vitam religioſo viro dignam ducebat, magna innocentiæ ſanctitatiſque opinione. Teſtantur id *Pſalmi* ab eo, quaſi Theologiæ operam perperuò nauaſſet, paraphraſi piè illuſtrati; & alia, quæ partim viuus ipſe, partim à funere *Gregorius & Gaius* filij edenda curarunt.

Franciſcus Balduinus.

CLARISSIMOS hoſce Præſides FRAN. BALDVINVS excipiat, illud non ſolũ Belgicæ, ſed Galliæ totius immortale ornamẽtum. Is vetere & illuſtri Atrebatium vrbe ortus, Antonium patrem habuit, fiſci regij apud ſuos procuratorẽ. Admodum puer Louanij Græcis Latiniſque litteris informatus, peracri ingenio ad Iuris ciuilis ſtudia conuerſo, arcana ſcientiæ tãta celeritate cõplexus eſt, vt doctoribus ſuis, in his Gabr. Mudæo, admirationi eſſet. Puber factus, dũ in aula Caroli V. Cæſaris cum Ioãne Marchione Bergẽſi verſatur, contigit, vt in cubiculo Principis, vrgente ſiti, vinum Imperatori ante ſomnũ offerri ſolitũ intrepidus biberet. Quo audaci facto magis innotuit, mirante Carolo probanteq; formoſi adoleſcẽtis audaciã. Nec res augurio caruit, fore & eum, qui Cæſareas leges penitus imbiberet.

Lutetiam Pariſiorũ poſtea ſe contulit, ad exploran-

ploranda clarorum virorũ ingenia; moxq; Guil. Budæo & Laz. Bayſio ICtis. & libellorũ ſupplicum Magiſtris, aliisq; viris magnis innotuit. Hinc in Germaniam ad Melancthonem & Bucerum, dein Geneuam Allobrogũ ad Caluinum & Bezam profectus, ab auctoribus ac defenſoribus nouarum ſectarum intelligere voluit, quas ob cauſas a Romana & veteri Eccleſia diſceſsiſſent. Quorum impia commenta deprauatasq; opiniones non probans, Caluinum in primis aiebat ſibi diſplicuiſſe, ob ſeditioſum turbulentumque ingenium, quod in eo deprehẽdiſſet. Lutetiam reuerſus à Biturigibus ad docẽdi munus accerſitur, futurus collega Eguinar. Baronis & Fr. Duareni ICtorum, parq; de publico ſtipendium accepturus. Mox incredibili omnium ſtudio, voce Baronis Doctor renuntiatur. Septennio hîc exacto, Germaniæ Academias aliquot docendo obiuit; Iac. Cuiacio doctiſsimo ICto. ſucceſſore apud Biturigas cooptato. Pòſt in Galliam ab Antonio Borbonio Rege Nauarræo reuocatus, filium eius naturalem Carolum in diſciplinam accipit. Audito Regis ad Rothomagum caſu, nõ multò pòſt puerum in Galliam reduxit. Ac tum quidem, renaſcentibus in Gallia bellis ciuilibus, ſeriò cœpit de reditu in patriam cogitare, ciuibus ſuis atque Hiſpanis per oratores rogantibus, vt Duaci Flandrorum, in Academia recens excitata, Iuris Ciuilis ſcientiã, amplo propoſito honorario, profiteretur. Ad ſuos itaq; reuerſus, à Ferdinando Aluaro Duce Albano Belgicæ Protege comiter humaneque ſuſceptus eſt. Sed Belgicis tumultibus

paullò

paullò pòſt magis magisq; ingraueſcẽtibus, miſſione aliquot dierum impetrata, ſpecie adducẽdæ vxoris ac Bibliothecæ, Lutetiam ad priſtinũ docendi munus reuertit. Veſontiones interim vetuſsimi Sequanorum iure Academiæ inſtituendæ, vt aiebant, impetrato, per nuntios eum inuitant, pactique de ſtipendio abducunt. E fluctibus Galliæ iterum æſtuantis, in eum veluti portum ſecedens (belli enim ciuilis rapinas, furta, cædes deteſtabatur) repperit Maximiliani II. Cæſaris voluntate Veſontiones prohibitos Iuris ſcholam inſtituere. Hortantibus nihilominus vt Ius ciuile interpretaretur; nefas eſt, reſpondit, Iuris auctorem ab interprete Iuris contemni. Itaque digreſſus inde, rogatu multorum, Andegavum ad ſcholam reuocandam ſe contulit. Vbi cùm annos ferme quattuor florem Gallicæ iuuentutis Iuris ciuilis cognitione imbuiſſet, Henrico tum Andium Duce in Regem Poloniæ electo, Lutetiam ab eo venire iuſſus eſt, menſe Auguſto: quo tempore magnificentiſsima legatio Polonorum adfuit. Collocutus cum omnibus, magnum ſui in exterorum animis amorem excitauit; putabaturque ineunte vere in Poloniam profecturus, niſi conditionis humanæ neceſsitas Iuriſconſultum totius Europæ ſummum, ardore continuæ febris diu vexatum, antè ſuſtuliſſet.

Statura fuit iuſta, forma eximia, & per omnes ætatis gradus venuſta, oculis acribus ac nitidis. Vocem habuit canoram, firmiſsima latera, vt docens Periclis inſtar tonare ac fulgurare videretur; duarum maximarum ſcientiarum, vt erat memoriâ

moria propè diuina, ſummos apices complexus eſt, Iuris Ciuilis & Hiſtorię. Dicere enim ſolebat, & ſcripto edito, vt poſteritas exaudire poſſet, profeſſus eſt, Hiſtoriam cum Iuriſprudētia coniungi oportere; hanc ſine illa cęcā videri. Ex Catharina Bitonia cōiuge ſuſcepit vnicā filiam, imaginem ſui. Percunctante Papirio Maſſono, mallétne filium quàm filiam habere; Minimè, reſpōdit: Roma enim Ciceronis filium non agnoſcebat loquentē. Præter varia ad Iuriſprudentiā pertinentia, ſcripſit & *Apologias tres* aduerſus Caluinum & Bezā Hæreſiarchias, ab illis antea laceſſitus; feruntque Caluinum nullius linguam, ſtilum & eruditionē magis horruiſſe, quàm huius Atrebatis, familiaris quondam ſui. Vita deceſsit CIↃ.IↃLXXII. Lutetiæ Pariſiorum in Collegio ſuæ gentis Atrebatium, præſentibus vxore & filiola, annos natus tres & L. ſacris ritu Catholico piè ſumptis, teſtatus in Fide Eccleſiæ Romanæ ſe mori. Adfuit morienti, quo etiam vſus erat familiariter, Ioannes Maldonatus Bæticus Soc. IESV Theologus præſtantiſsimus. Conditus eſt in Mathurinorum Sodalium peryſtilio, quo & Ioannes à Sacro Boſco, celebris ab hinc annos ferè CCCL. Mathematicus, ſitus eſt. Maſſonus grati animi auditor hoc ferè Elogium illi tribuit, & ſarcophago hæc inſculpenda curauit.

CVIACI

BALDVINVS HIC IACET HOC TECVM REPVTA ET VALE MORTVIS VOBIS IVRISPRVDENTIAM GRAVIS CORRIPIET SOPOR.

Io. Aurati.

FRANCISCVS *ille* BALDVINVS *nomine*,
Re BALDVS *alter, nomen ipſum quod notat:*
Non craſſa, vt ille, doctus ipſa Pallade,
Sed maximam qui Iuris ad prudentiam
Vtriuſque, veteris & nouæ ſcientiam
Hiſtoriæ, & eruditionis iunxerat.
Hic talis atque tantus inter exteros
Suóſque notus, vltimos in Andibus
Exegit annos lectionis publicæ,
Auctore quam tum obibat Andino Duce,
Cum ſummo honore, & maximis ſtipendiis.
At ille cùm Rex factus eſſet è Duce
Henricus omnium Polonûm calculis;
Electus eſt hic Regis electi comes.
Sed æqua Gallis Parca tantum Galliæ
Abeſſe BALDVINI *noluit decus,*
Suúmque alumnum libera aſſeruit manu
Patrio ſepulcro: Iuris *vt ſummum caput*
Iuris ſuprema in ſede ſit Lutetia.

Obiit IX. Kal. Nouembr. CIↃ. IↃ LXXII.

Fran-

Franciſcus Craneveldius

NOBILI familia apud Geldros Neomagi natus, decurſo Iuris Ciuilis ſtadio, ſuprema laurea publicè cum applauſu Louanij donatur. Pòſt Brugis Flandrorũ Reip. Orator fuit, quẽ in Belgio Magiſtratũ Penſionariũ vulgò nominant. Inde Machliniam in Conſilium à Cęſare vocatus, ſumma cum fide atq; integritate munus obiit. Sexagenario maior, dũ publica tractat negotia, & de Iure indies reſpondet, Græcarũ litterarum præſidiũ ſibi deeſſe dolẽs, M. Catonis exẽplo, ſenex eas ab elemẽtis per ſe diſcere horis ſubceſiuis nõ erubuit. Quas tanquã diuturnam ſitim explere volẽs, tã auidè arripuit, vt & ſine doctore Græcè bene peritus *Procopij de Iuſtiniani Imp. ædificiis libros ſex*, aliaq; nõ pauca Latio donauerit. Hebraicæ etiam linguæ nõ ignarus, ſacras litteras in ætatis afflictæ ſolatiũ ſenex tractauit. Magna illi per omnẽ ętatem cũ Deſ. Eraſmo, Lud. Viue, Th. Moro, Al. Amſtelredamo, aliiſq; clarisea tẽpeſtate viris familiaritas fuit; ad quos etiã Græcè interdum, ſtilũ exercẽdo, ſcripſit. Symbolo, gentilitiũ nomen cõplectente, hoc vſus eſt *Ludi* CRANEVEL *ſeria*. Moritur Machliniæ, ipſo D. Franciſci die, quẽ ſibi cognominem, quoad vixit, religiosè coluit, anno CIↃ. IↃ LXIV. hoc nomine felix, quòd impendentem patriæ, Inoclaſtarum furore, ruinam morte obita non viderit.

Bibliothecam optimis cuiuſque generis libris inſtructam heredibus moriens legauit.

Iudocus Damhouderius.

VT in ea quę de moribus eſt Philoſophia, contẽplationi actio præpollet, (virtutis enim laus omnis in actione cõſiſtit:) ſic & in Iure Ciuili prior quidem eſt, quam Scholæ tradunt, Theoretica, praxis verò finis. In hac potiſsimũ DAMHOVDERIVS elaborauit, cõmonſtrato libris editis *Rerum Criminaliũ Ciuiliumq;* vſu. Angebat enim hominẽ integerrimũ, nec iniuria, dũ lites è litibus ſeruntur, immortales reddi, atque adeò, quod Philoſophus ille deteſtatur, mortales immortales, vt è litibus fieri amat, inimicitias gerere. Qua fide notus ſummo Principi Carolo V. eiuſque filio Philippo, intimis eſt cõſiliis, gazíſq; adhibitus, atq; Equeſtri dignitate cohoneſtatus. Obiit Antverpiæ XI. Kal. Febr. CIↃ.IↃ.LXXXI. quattuor & LXX. annos natus; relicto filio *Ludouico* & virtutis, & ſtudij herede, Gandaui Senatore Regio. Corpus Brugis patriis ſedibus redditum honorifico tumulo conditum eſt in D. Virginis. Retulit nimirum eius pietatis mercedẽ, quam Carolo Audaci, magnanimo illi Belgarum Principi, Nanceio Brugas tranſlato impendit.

Petrus Peckius.

SAPIVNT illi omnium iudicio, qui tẽporibus difficillimis, quoad eius fieri poteſt, medendis ac iuuandis ſtudium omne, cogitationemq; conferunt. Quo in genere omne punctum tuliſſe PE-

TRVS

TRVS PECKIVS videtur, Vaſtatis enim ac profanatis ab Iconomachis per Belgium ſacroſanctis Ædibus, de iis reparandis atq; inſtaurandis *Conſiliũ* ſcripſit. Vtq; ciuibus gratularetur ſuis, (apud Ziricæos enim in Zelandicis inſulis natus eſt) & magna ſit apud Belgas nauigandi ars, qua res familiaris in primis augetur, merceſque importantur & exportantur; quò diſciplinę quadam ratione ars ea in officio contineretur, reliquit varios *De re Nautica* Libros. De ceteris ſcriptis ad Iuriſprudentiam pertinentibus excellunt Commentarij *De Teſtamentis coniugum, De iure ſiſtendi, De Iuris Canonici Regulis.* Forma fuit corporis elegãti, ac dignitate heroica, barba promiſſa, comis ac mirè facilis in tam excellẽti doctrina. Quibus artibus Senator eſt Regius Machliniæ creatus. Reliquit filium & tituli & doctrinæ heredem, qui parentis corpus Machliniâ Louaniũ, vti iuſſerat, trãſtulit, & ad D. Michaelis, quæ baſilica illius vrbis eſt vetuſtiſsima, hac inſcriptione condidit.

D. S.

PETRO PECKIO REGIO IN MAGNO SENATV BELG. CONSILIARIO ET SVPP. LIBELL. MAG. ZIRICEAE NATO MACHLINIAE E. A. D. XVII. KAL. AVG. CIƆ. IƆLXXXIX. DENATO LOVANII VBI MVLTIS AN. IVS ENARRARAT APVD SVOS DEPOSITO INQ. HOC INQ. ILLO MVNERE PVBLICE BENE MER. SCRIPTIS CLARO PIETATIS COLENTISS. OMNIBVS BONIS AMICO CLERI STVDIOSIS S.

CATHAR. GILLIS VID. ET LIB. P.

VIXIT ANN. LX. D. I. BENE QVIESCAT IN CHRISTO IESV.

Iudocus Damhouderius.

VT in ea quę de moribus eſt Philoſophia, contēplationi actio præpollet, (virtutis enim laus omnis in actione cōſiſtit:) ſic & in Iure Ciuili prior quidem eſt, quam Scholæ tradunt, Theoretica, praxis verò finis. In hac potiſsimū DAMHOVDERIVS elaborauit, cōmonſtrato libris editis *Rerum Criminaliū Ciuiliumq;* vſu. Angebat enim hominē integerrimū, nec iniuria, dū lites è litibus ſeruntur, immortales reddi, atque adeò, quod Philoſophus ille deteſtatur, mortales immortales, vt è litibus fieri amat, inimicitias gerere. Qua fide notus ſummo Principi Carolo v. eiuſque filio Philippo, intimis eſt cōſiliis, gazíſq; adhibitus, atq; Equeſtri dignitate cohoneſtatus. Obiit Antverpiæ XI. Kal. Febr. CIↃ. IↃ. LXXXI. quattuor & LXX. annos natus; relicto filio *Ludouico* & virtutis, & ſtudij herede, Gandaui Senatore Regio. Corpus Brugis patriis ſedibus redditum honorifico tumulo conditum eſt in D. Virginis. Retulit nimirum eius pietatis mercedē, quam Carolo Audaci, magnanimo illi Belgarum Principi, Nanceio Brugas tranſlato impendit.

Petrus Peckius.

SAPIVNT illi omnium iudicio, qui tēporibus difficillimis, quoad eius fieri poteſt, medendis ac iuuandis ſtudium omne, cogitationemq; conferunt. Quo in genere omne punctum tuliſſe PE-

TRVS

TRVS PECKIVS videtur. Vaſtatis enim ac profanatis ab Iconomachis per Belgium ſacroſanctis Ædibus, de iis reparandis atq; inſtaurandis *Conſiliū* ſcripſit. Vtq; ciuibus gratularetur ſuis, (apud Ziricæos enim in Zelandicis inſulis natus eſt) & magna ſit apud Belgas nauigandi ars, qua res familiaris in primis augetur, merceſque importantur & exportantur; quò diſciplinę quadam ratione ars ea in officio contineretur, reliquit varios *De re Nautica* Libros. De ceteris ſcriptis ad Iuriſprudentiam pertinentibus excellunt Commentarij *De Teſtamentis coniugum, De iure ſiſtendi, De Iuris Canonici Regulis.* Forma fuit corporis elegāti, ac dignitate heroica, barba promiſſa, comis ac mirè facilis in tam excellēti doctrina. Quibus artibus Senator eſt Regius Machliniæ creatus. Reliquit filium & tituli & doctrinæ heredem, qui parentis corpus Machliniâ Louaniū, vti iuſſerat, trāſtulit, & ad D. Michaelis, quæ baſilica illius vrbis eſt vetuſtiſsima, hac inſcriptione condidit.

D. S.

PETRO PECKIO REGIO IN MAGNO SENATV BELG. CONSILIARIO ET SVPP. LIBELL. MAG. ZIRICEAE NATO MACHLINIAE E. A. D. XVII. KAL. AVG. CIƆ. IƆLXXXIX. DENATO LOVANII VBI MVLTIS AN. IVS ENARRARAT APVD SVOS DEPOSITO INQ. HOC INQ. ILLO MVNERE PVBLICE BENE MER. SCRIPTIS CLARO PIETATIS COLENTISS. OMNIBVS BONIS AMICO CLERI STVDIOSISS.

CATHAR. GILLIS VID. ET LIB. P.

VIXIT ANN. LX. D. I. BENE QVIESCAT IN CHRISTO IESV.

Ioannes VVameſius.

AT IOANNEM VVAMESIVM, quo homine nihil ferè doctiùs, prudentiùs, aut candidiùs Belgica noſtra tulit, Elogio ſuo fraudari quis ferat? Etſi enim, quâ erat animi modeſtiâ, ſcriptis viuus inclareſcere nunquã ambierit; ex doctiſsimis tamẽ *Recitationibus ad Tit. de Appellationibus*, quas nuper Clariſs. Viri *Steph. VVeymſius* & *Ger. Corſelius* evulgarũt, facilè intelligas, viro longè eruditiſsimo nihil, præter ſcribẽdi volũtatem, defuiſſe; pręſertim cũ interioribus litteris, Græciſq; tinctus eſſet non leuiter. Quibus quidẽ præſidiis ornatus, ad publicã Iuriſprudentię profeſsionẽ ſumma cũ laude acceſsit, & Doctoris inſignibus, vnà cũ Ioãne Vendvillio pòſt Tornacẽſium Præſule, Ioach. Hoppero, & Petro Peckio clariſsimis Iurecõſultis, decoratus eſt. Quãti porrò docendi prouinciã ſemper fecerit, ex eo certè apparet, quòd cũ à Ioan. Auſtriaco Turcicæ claſſis victore, ad cõponendos motus Belgicos à fratre Philippo II. Hiſp. Rege miſſo, in ſummũ Senatum legeretur, eo nõ ſit vſus beneficio; ne ab honeſto otio auocatus deeſſet iuuentuti, quã ſemel informandã ſuſcepiſſet. Cumq; pari ferè laude in cognitione humani diuiniq; Iuris floreret, (quæ laus paucis, ſi Ph. Deciũ, & Did. Couarruuiã excipias, noſtra ætate obtigit) quæſitam hãc in ſcholis doctrinã, vſu & exercitatione foreſi ſic confirmauit, vt ambigerẽt omnes, ad Gymnaſiũ, ad Forũ, an ad Remp. magis foret idoneus. Fidem facient, elaborata illa *Reſponſorum Iuris Volumina*, quibus

nihil

[ni]hil in eo genere aut vſu melius, aut doctrina [p]erfectius inuenias. Defuncto heredes illuſtre [m]onumentum poſuêre Louanij ad D. Petri.

MEMORIÆ SACRVM.
[I]OANNES VVAMESIVS. H. S. E.
QVEM BREVITER LECTOR NOSCE.
[N]ATVS EST LEODICI EBVRONVM ANNO
[C]IↃ. IↃXXIV. AD STVDIA LITTERARVM
[E]T INDE IVRIS TRANSIIT IN IIS QVOQ.
[F]AMAM ADEPTVS ETIAM GRAECIS,
NATVRA ET INDVSTRIA DVCE.
AT IN IVRE AD CVLMEN IPSVM
CONSCENDIT
DOCTOR RENVNCIATVS A. CIↃ. IↃLIII.
PVBLICE PROFESSOR IN HAC SCHOLA
A. CIↃ. IↃLV.
DENIQVE PRIMARIVS ANTECESSOR
A. CIↃ. IↃLXX.
HOC MVNVS CVM LAVDE ANNOS XX. OBIIT.
PRIMORIB. GRATVS VVLGO VENERABILIS
OMNIB. CARVS. BREVITER, DOCTRINA,
PRVDENTIA, AVCTORITATE, INTER AEVI
SVI PRIMOS
OBIIT DIVTINA INVALETVDINE
A. CIↃ. IↃXC. XI. KAL. SEXTIL.

ISTE VIR FVIT, LECTOR, SED FVIT,
TV QVOQVE QVOD ES NON ERIS,
ALIVS ALIAS, SED OMNES HVC IMVS.
COGITA, ET HVIC BENE APPRECARE,
ITA POSTERI TIBI.
MAGNE DEVS
IPSI ET NOBIS MISERERE.
HERR. PP.

I. Lipsi.

Antiſtes iſte Iuris, & Legum ſacer
Doctor, cui Themis ſuum recluſerat
Pectus, ſuoq; Aſtræa fouerat ſinu,
Abiuit ille, & cælites petiit locos,
VVAMESIVS *Louanio incyltum decus.*
Abiuit; at reliquit in noſtris locis
Et VVEYMSIVM, & CORSELIVM *Iuris ſimul*
Myſtas ſacratos: qui perire non ſinant
Eius labores, ſed dolatos proferant
Viuax in æuum, publicoq; conſecrent.

Iacobus Ræuardus.

IACOBVM REVARDVM audeam cum I.Lipſio V.CL.Belgij noſtri Papinianum nominare: vt qui cum priſcis illis Iureconſultis ingenij doctrinæq; præſtantia comparandus eſſe videatur. Is Flander ab vltima ſtirpe Morinæ gentis parentes habuit domi celebres, opibusque & virtute honeſtos; natusque in Liſsiwega municipio agri Brugenſis anno ferè CIƆ. IƆXXXV. maioribus ſuis, & Brugenſi Reipub. ſingulari ornamento fuit. Adoleſcens Louanium velut ad mercatum bonarum artium miſſus, animum ad Iuriſprudētiæ ſtudium appulit. Inde Aurelianum in Galliā tranſiit, biennioq; exacto honore ac titulo Iuriſconſulti ibidem cohoneſtatus eſt. Bello inter

Reges

Reges Hiſpanum & Gallum exorto, ad ſuos reuerſus, Brugenſi in vrbe ſedem fixit, allectus ſæpius in ordinem Senatorum. Pòſt ab Academia Duacena ad Iuris profeſsionem honorificè euocatus, munus ſuum magna cum laude obiit; Rectorque (qui primus eſt Academiæ Magiſtratus) publico bono præfuit. Dumque ſtudiis æquo plus immergitur, vitium pulmonis (phthiſin Medici appellant) contrahit, atque exſucco corpore (vt optima quæque diu in terris perennare non ſolet) tabeſcere paullatim cœpit. Brugas itaque decimo octauo menſe, valetudinis curandæ, regreſſus, vixit æger ad annum vſque CIƆ.IƆLXVIII. quo anno flos ille ingeniorum, cum ætatis nondum quartum & triceſimum attigiſſet, Kal. Iunij velut in herba ſucciſus eſt; quem ſi diutius ſtare Superi permiſiſſent, eſſet cur Gallis Celtis Iac. Cuiacium Belgæ non inuideremus. Solatio tamen eſſe nobis poſſunt præclara iſta ingenij monumenta: *Ad Leges XII. Tabb. Liber ſingularis, Variorum Libri V. Protribunalium Liber, De Præiudiciis Libri II. De auctoritate prudentium Liber, De Iure Liberorum Liber, Ad Tit. De Regulis Iuris Commentarius, itemque Coniectaneorum Libri III.* Quæ quidem vigiliæ expeditum animi vigorem, viuidi ingenij aciem, in cōſiliis de magnis & dubiis rebus capiendis & expediendis ſolertis mentis celeritatem, Antiquitatis notitiam, atque eximiam Viri eloquentiam poſteris loquentur. E coniuge liberos aliquot ſuſtulit, in his *Petrum* ſummæ ſpei, ſed æui itidem breuis. Conditus eſt in Æde ſacra municipij natalis, quam marmorei aliquot maiorum ipſius tu-

muli exornant. Hoc fere monumentum amico *Ianus Lernutius* poſuit, mortuumque his verſibus eſt proſecutus.

SI fas eſt immortali mortalia flere,
Atque homini lacrymas perſoluiſſe Deam:
Cum videt exſtinctas Leges, Romanáque Iura,
Et tecum hinc raptam Flandria Iuſtitiam:
Macte animis RÆVARDE *tuis. Nam poſt tua cernes*
Fata, Deam lacrymas reddere iuſta tibi.

Hub. AudeiantI.

QVòd, REVARDE, *tua ruperunt ſtamina vitæ*
Lanificæ ante diem præproperata Deæ;
Quid mirum? Legum ſacer interpréſque, patérque,
Iamdudum Themidos corque medulláque eras.
Certa fides. Lacheſis primis hæc talia in annis
Vt vidit, meritò credidit eſſe ſenem.

Boëtius Epo.

MVLTIPLICI laude nomen ſuum BOETIVS EPO Friſius immortale reddidit. Nam linguæ vtriuſque exacta notitia, quæ ad homines illuſtrandos vna ferè ſufficere ſemper exiſtimata eſt, exiguam partem in huius viri laudibus occupat. Præfulget enim rara quædam Iuris, atque in primis Pontificij cognitio: quippe qui Tholoſæ ſuprema Iuriſprudentiæ laurea decoratus, pri-

mum

mum Lutetiæ Pariſiorum, pòſt Louanij Grudiorum eam ipſam ſumma cū ingerij, tum doctrinæ gloria tradidit. Qua vna re promeruit, vt veluti colonia regiis auſpiciis Louanio, Duacū Catuacorum ad Scarpum fl. CIↃ. IↃLXII. deducta, & ipſe ſuos inter anteſignanus mitteretur. Qua in Academia ſeptem ipſos & triginta continenter annos, rarò certè conſtantiæ exemplo, de ſuperiore loco profitendi munus ſuſtinuit; honorarij etiam vice Palatini Comitis titulum adſecutus. Antiquitatis verò Eccleſiaſticæ peritiſsimū fuiſſe arguūt eius *Syntagmata*, & *Eccleſiaſtica atque Heroicæ Quæſtiones*. Collegas eodem ſecum profectos ad vnum omnes præmiſit, quibus compoſitis ipſe ſuperſtes vixit ſeptuagenario, in tot tantiſq; lucubrationibus, maior; duodecim etiam liberorū ex honeſta coniuge parens. In his & filium, vt tituli, ſic & cathedræ conſortem reliquit. Conditus eſt in Æde ſacra Societatis IESV, hac pia breuiq; vt iuſſerat, inſcriptione.

BOETII *corpus quieſcit hîc* EPONIS,
Animam reſpice ô IESV *benigniter.*

DE-

DECAS VI.

Medici & Mathematici.

ANDREAS Veſalius Bruxellenſis Anatomicorum Princeps.

Gemma Friſius,

ET

Cornelius Gemma Louanienſis F.

Hieremias Triuerus Brachelius Geldr.

Læuinus Lemnius Ziricæus Zeland.

Nicolaus Bieſius Gandenſis.

Ioannes Goropius Becanus Brabantus.

Hermannus Cruſerius Campenſis.

Ioannes Teiſnerus Athenſis Hanno.

Nicaſius Ellebodius Caſletanus Fland.

Ioannes Stadius Loenhoutanus Brab.

Andreas

Andreas Veſalius.

VT Medicinæ pars ferè princeps Anatome eſt; ſic & principatum ANDREAS VESALIVS in Medicorum claſſe teneat. Is Bruxellis nobili Brabantiæ vrbe natus, puer liberaliter inſtitutus, & Louanij Caſtrenſi in Gymnaſio Peripatetica Philoſophia imbutus, Phyſicis potiſſimum delectabatur. Quare naturæ genio obſecutus, ad Medicinæ ſeſe artem ſic applicuit, vt in Anatomicis parem vix vllum ex omni antiquitate, ſuperiorem certè neminem (Iacobo Siluio Ambiano pro Galeni honore nequidquam certante) reppererit. Scripſit enim Opus admirãdum *De humani corporis fabrica*, quo ſingula eius membra ſic figuris expreſsit, vt oculis etiam ſubiicere videatur. Anatomen Baſileæ, Patauij, & in omnibus pæne Italiæ Academiis publicè exhibuit. Ob nominis celebritatem artisque præſtantiam, à Carolo V. Imperatorum maximo, eiusq; filio Philippo II. Regum potentiſsimo Medicus adſcitus, valetudinis eorũ, ſumma fide diligentiaque, curam geſsit. Aulicæ tandem vitæ pertæſus, viſendæque Paleſtinę ſtudio ac religione ductus, vnà cum Malateſta Ariminenſi Cyprum, indeque Hieroſolymam adiit. Pòſt magno illo Gabriele Fallopio Patauij viuis erepto, à Senatu Veneto in demortui locum ampliſsima pollicitatione euocatus, dum Italiam verſus adnauigat, tempeſtate in deſertum Zazynthi inſulæ angulũ

eiici-

eiicitur, ibique morbo correptus, & ope omni humana deſtitutus, mortem Medicus effugere non potuit. Conditus eſt ea in inſula ad D. Mariæ cum hac epigraphe.

ANDREAE VESALII BRVXELLENSIS TVMVLVS QVI OBIIT IDIBVS OCTOB. ANNO CIↃ. IↃLXIV. AETATIS VERO SVAE LVIII. CVM HIEROSOLYMIS REDIISSET.

B. Ariæ Montani.

Corporis humani qui membra minuta ſecaret,
*V*ESALIO *nullus doctior enituit.*
Hic Medicis auxit, Pictoribus auxit & artem,
Dum ſubit internas, quæ latuêre, vias.

Gemma Friſius,
ET
Cornelius Gemma F.

QVIDNI GEMMAM ceteris illuſtribus annumerem, qui, vt gemma quædam rarior, inter æui ſui Mathematicos illuxit? Quo nomine Carolo V. Cæſari, harum artiū non ignaro in primis gratus, ſæpe Bruxellam eſt euocatus, & viciſsim ab aulicis Louanij ſalutatus. Solitus quidem domi Mathematicas diſciplinas quaſi radio demonſtrare; publicè verò in Gymnaſio Medicinam profiteri.

Statura

Statura erat mediocri, membríſque gracilibus, & facie pallida. Quo factum eſt, vt dum *Hieremia Triuero* collega familiariter vtitur, eſſetque hic procerior multò, facieque rubicunda, & corpore obeſo; cum eo conſpectus in publico ſæpiùs, non potuit ſalſi cuiuſdam vrbanitatem effugere, qui GEMMAM & HIEREMIAM Louanieſium Medicorum par impar facete appellitabat. Viſitur hodieque effigies tumulo appenſa Louanij in Æde Sodalium Dominicanorum, his verſibus adiunctis.

VT ſimulat ſolem radiantis gemma pyropi;
Sic GEMMAM *artifici picta tabella manu:*
Hac vultum dedit, ipſe animi monumenta perennis,
Ne quid in exſtincto non ſupereſſe putes.

Obiit calculi malo CIↃ.IↃLV. Maij XXV. ætatis XLVII.

Io. Secundi.

GEMMA, cui ſecti patuerunt inuia mundi,
Et quidquid longa vidit vertigine Phœbus,
Cui nubes ſuperare vagas, ſedeſq́ue repoſtas
Mente datum ſancta eſt, & auito currere cælo,
Fataléſque rotas tereti ſuſpendere ligno;
Immortale feres nomen, dum gemma feretur
In digitis, fuluoq́ue decens radiabit in auro,
Phœbaiq́ue terent iteranda volumina currus.

Cornelivs Gemma Poëta, Rhetor, Philoſophus, & Medicus egregius acceptam à patre famā, pręclaris ingenij ſui monumētis ſic auxit, vt vter alteri plus debeat, meritò ambigas. In libris certè, quos *De Arte Cyclognomica, deq; Naturæ diuinis Characteriſmis* edidit, dum altiſsima Philoſophiæ myſteria recludit, ſe ipſum quodammodo ſuperauit. Neq; Theoricâ ſolū valuit, ſed in praxi quoq; felix, arte ſua vitam multis produxit, ſibi tamen eam ſeruare nō potuit, cū anno CIↃ.IↃ LXXVIII. apud Grudios epidemica lues graſſaretur. Reliquit & Cornelivs filium Philippvm Doctorem Medicum; rarò certè exemplo filium, patrem, auum & eruditos, & iiſdem deditos ſtudiis, vt in Italia noſtro æuo Manutios, floruiſſe.

Laur. Beyerlinchi.

Qvis lapis hic? Gemmæ. Gemmam *lapis an tegit? inquis.*
At condi in gemma *debuerat potiùs.*
Non ita. Nam quauis minor illo gemma *fuiſſet,*
Et poſito à Gemma· gemma *ſit iſte lapis.*

Hieriemias Triuerus.

Hieremias Trivervs vir fuit multiplici præditus eruditione, qui Louanij primarius rei medicæ Profeſſor, tātos in ea ſciētia progreſſus fecit, vt nemo illum ætate ſua vicerit, paucisſmi æquarint.

Digitized by Google

æquarint. Teſtantur id doctiſsimi in *Hippocratem, Galenum & Corn. Celſum Commentarij*; *Paradoxa* item *variarum diſceptationum Argumenta*, a noſtris hominibus Antverpiæ, & Lugduni à Gallis identidem excuſa. Longa verò tabe (quam ferè vigiliæ immodicæ adferre ſolent) vir eruditus ante diem exſtinctus, maiorem Pæonię arti calamitatẽ attuliſſet, niſi in libris cum omni poſteritate quaſi præſens loqueretur.

Læuinus Lemnius.

DIVINÆ nimirum Philoſophiæ miniſtræ ſunt artes vniuerſę; vtque ars Medica corporibus medetur, ſic animis Theologia. Quo factum, vt ab illis caſtris ad hæc plurimi noſtra memoria tranſierint, & Glauci ac Diomedis exemplo ærea cùm aureis permutarint. In his Fr. Valeſius Hiſpanus, Philippi II. Catholici Regis Archiatrus, & noſtrates Reinerus Snoyus, ac Ioan. Valterius Viringus, cuius in gratiam Io. Molanus Medicos in Diuorum numerum relatos, Eccleſiaſtico Diario cõſcripto, recẽſuit. Talis & LÆVINVS LEMNIVS excellenti Medicus ingenio, formaq; egregia, vt vel aſpectu ſuo & eloquẽtia ægros recrearet. Filium is legittimo thoro *Gulielmum* ſuſtulit, paterni & æris & artis heredem, qui Suetiæ Regi à conſiliis valetudinis fuit. Quo Rege à perfido quodam regnum affectante in vincula coniecto, *Guilielmus* fidus domino Medicus vna fortu-

nis vitaque exuitur. Parens in ſtudiis acquieuit, ſcripſitq; eleganti ſtilo varia omnium artiũ candidatis apprimè vtilia; in his & *Similitudinum, quæ ex fructibus herbiſq; ſacris in Bibliis deſumuntur, Explanationem:* quem commentarium ſacrarum litterarum ſtudioſis vſui eſſe poſſe docuit Fr. Valeſij iudiciũ, qui diuinæ eum ſuæ Philoſophiæ adiunxit. Elata vxore, ſacris ipſe initiatus Canonicorũ in patria Collegio adſcriptus, ibidemq; ſenex piè defunctus eſt.

BeyerlinchI.

NE magis Hyblæo lateat ſub melle venenum,
Præſtitit id medica LEMNIVS *arte potens.*
Ille tibi vires, ſpecies, cauſſáſque latentes
Herbarum, ingenio dexteriore, notat.
Ergo Dioſcoridi quantùm das Græcia, tantùm
Debes LÆVINO *Belgica grata tuo.*

Nicolaus Bieſius.

MERITA tua in vniuerſam Remp. litterariam NICOLAE BIESI, ſiue medicam prudentiam ſpectemus, ſiue ceteras bonas artes cum eloquentia coniunctas contemplemur, iure tibi eam gloriam, qua poſteritati etiamnum interes, compararunt. Mox enim, cùm per ætatem licuit, tanta animi contentione optimis diſciplinis inſudaſti, vt æqua-

vt æqualibus tuis longè antecelleres. In Hiſpaniá profectus, Valentiæ Editanorũ, cæli longè amœniſsimi, Ducibus Calabriæ hæſiſti; ad quos & habitam *pro ſtudiis litterarum Orationem* euulgaſti, vt & *De dicendi arte Libros II*. Vſus ibidem familiariter Ioanne Bap. Agneſio Theologo ac Poëta Valentino, quicũ mutuis ſæpe verſibus luſiſti. Philoſophicis maximè deditus *De Vniuerſitate* cum proſa, tum carmine *Libros II. De Natura Libros V. De Repub. Libros IV.* foras ire paſſus es. Ad tuos poſtliminio, tamquam Vlyſſes alter, reuerſus, in Iconoclaſtarum tempeſtatem incidens, patriam, pro dolor, inflammatam repperiſti. Cui pro virili iuuandæ *De Opinionum Varietate* edito libello, à ſectarum varietate populares tuos reuocare, atq; in maiorum religione retinere tentabas. Louanij publicam Doctoris perſonam ſuſtinens, remque medicam tractans, in *Galeni Artem Commentarios* communicaſti, *Medicinæ* item *Methodum ac Theoricam* euulgaſti. Pôſt à Maximiliano II. Imp. tuendæ valetudinis, accitus, eiusque liberis gratus acceptusque fatis ibidem concedis CIↃ. IↃLXXIII.

I. Fontani.

DVm murmurantis ad fluenta Diliæ
Vitam trahit laboribus,
Et fonte labra proluit Parnaßico
Phœbi iubar BIESIVS;
Arte potentem medica deſtinans ſibi,
Maxmillianus euocat.

nis vitaque exuitur. Parens in ſtudiis acquieuit, ſcripſitq; eleganti ſtilo varia omnium artiū candidatis apprimè vtilia; in his & *Similitudinum, quæ ex fructibus herbiſq; ſacris in Bibliis deſumuntur, Explanationem:* quem commentarium ſacrarum litterarum ſtudioſis vſui eſſe poſſe docuit Fr. Valeſij iudiciū, qui diuinæ eum ſuæ Philoſophiæ adiunxit. Elata vxore, ſacris ipſe initiatus Canonicorū in patria Collegio adſcriptus, ibidemq; ſenex piè defunctus eſt.

Beyerlinchl.

NE magis Hyblæo lateat ſub melle venenum,
Præſtitit id medica LEMNIVS *arte potens.*
Ille tibi vires, ſpecies, cauſſáſque latentes
Herbarum, ingenio dexteriore, notat.
Ergo Dioſcoridi quantùm das Græcia, tantùm
Debes LÆVINO *Belgica grata tuo.*

Nicolaus Bieſius.

MERITA tua in vniuerſam Remp. litterariam NICOLAE BIESI, ſiue medicam prudentiam ſpectemus, ſiue ceteras bonas artes cum eloquentia coniunctas contemplemur, iure tibi eam gloriam, qua poſteritati etiamnum interes, compararunt. Mox enim, cùm per ætatem licuit, tanta animi contentione optimis diſciplinis inſudaſti, vt æqua-

vt æqualibus tuis longè antecelleres. In Hiſpaniā profectus, Valentiæ Editanorū, cæli longè amœniſsimi, Ducibus Calabriæ hæſiſti; ad quos & habitam *pro ſtudiis litterarum Orationem* euulgaſti, vt & *De dicendi arte Libros II*. Vſus ibidem familiariter Ioanne Bap. Agneſio Theologo ac Poëta Valentino, quicū mutuis ſæpe verſibus luſiſti. Philoſophicis maximè deditus *De Vniuerſitate* cum proſa, tum carmine *Libros II. De Natura Libros V. De Repub. Libros IV.* foras ire paſſus es. Ad tuos poſtliminio, tamquam Vlyſſes alter, reuerſus, in Iconoclaſtarum tempeſtatem incidens, patriam, pro dolor, inflam̃atam repperiſti. Cui pro virili iuuandæ *De Opinionum Varietate* edito libello, à ſectarum varietate populares tuos reuocare, atq; in maiorum religione retinere tentabas. Louanij publicam Doctoris perſonam ſuſtinens, remq́ue medicam tractans, in *Galeni Artem Commentarios* communicaſti, *Medicinæ* item *Methodum ac Theoricam* euulgaſti. Pòſt à Maximiliano II. Imp. tuendæ valetudinis, accitus, eiusq́ue liberis gratus acceptusq́ue fatis ibidem concedis CIↃ. IↃLXXIII.

I. Fontani.

DVm murmurantis ad fluenta Diliæ
Vitam trahit laboribus,
Et fonte labra proluit Parnaſsico
Phœbi iubar BIESIVS;
Arte potentem medica deſtinans ſibi,
Maxmillianus euocat.

Ioannes Goropius Becanus.

HILVARI-BECÆ, nobili Campaniæ Brabantinæ municipio natus GOROPIVS,(vnde & BECANI nomẽ illi perpetuò adhæſit) à cunabulis pænè in litteris eruditus, deinde inter Philoſophos enutritus, exactam Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliarumque linguarum ſcientiam conſecutus eſt. Ætate grandior, ad exquiſitiorem ingenij cultũ, Italiam, Hiſpaniam, Galliam, aliasq; prouincias peragrauit. Duarum Leonoræ Galliæ, & Mariæ Pannoniæ Reginarum, Caroli V. Cæſaris ſororũ, in Hiſpania diu Medicus fuit; ob id, quo ad viueret, inſigni annuo vectigali donatus. Pòſt in patriam redux, multos annos Antverpiæ Medicinã fecit. Vir certè præcellentis ac diuini propemodũ ingenij, qui nouo docendi genere demõſtrare conatus eſt, vetuſtiſsimam illam Philoſophiam, quã olim Linus, Orpheus, Thamyras, alijque tradidêre, ab ipſo Noacho, eiusque filiis, Iapeto præſertim, profectam eſſe, ac gentibus, ad quas Deo duce delati fuerint, traditam: eamq; cum ſacra Moyſis Hiſtoria optimè conuenire. In qua inueſtigatione dum Scriptorum omne genus euoluit; Poëtas maximè, qui pænè ſoli, ſi Platonem cum paucis excipias, vltimæ antiquitatis reliquias nobis conſeruârunt: nouis ſemper (vt dies diem docet) ſuppeditantibus argumentis; quod de Philoſophia dixi, ad Theologiam ſiue de Deo opinionẽ tranſtulit, oſtenditque priſcam illam Poëſin ſeu Muſi-

Muſicam,quę tota diuina à veteribus credebatur, à Catholica Religione, ſi fabularum inuolucra demas,verbis ac figuris quidem,ſed re ipſa parum aut nihil diſcrepare. Diuino planè vir ingenio, qualem vix ſingulæ ætates ferant, ſeu Philoſophiam, ſeu Philologiam (in vtraque enim ad miraculum vſque excelluit) tractaret; vt ſeculi ſui Varro nominari meritò potuerit. Paradoxum enim illud,patriam linguam hodieque cum Germanis, ſi pronunciationē & dialectum excipias, Belgis communem,(Cimbricam ipſe vocat)omnium eſſe antiquiſsimam, adeoq; ante diluuium primorum parentum fuiſſe,tam ingeniosè,redditis paſsim etymis, perſuadere conatur, vt velit nolit in eius ſentētiam pedibus ire Lector pæne cogatur. Vtinam,quod Critici quidam deſiderát, grauius tantoque ingenio dignius argumentum tractandum ſuſcepiſſet; vt de Platonis & Ariſtotelis conſenſione, vt de Repub. vt de omni hiſtoria, vt de Hippocratis & Galeni præſtantia, vt denique de Medicæ artis ac Philoſophiæ comparatione: omne ſanè punctum tuliſſet vtile dulci admiſcens, nec æqualium cuiquam conceſsiſſet. Nam minuta illa, fateor, de linguæ Belgicæ veriloquiis, (vt etyma Varro nominat) exteros pleroſque,gemmas ibi latere ignorantes, à legendo deterrent. Sed vitio neſcio quo plurima peccantur à doctis in eam partem, dum aut humile nimis argumentum deligunt, (vt qui Quartanam Febrim Phauorinus, & de Belgis Guil. Inſulanus laudarunt,qui Caluitium Syneſius)aut maius, quàm humani ferre poſsint, quorum maxi-

ma copia eſt)ſuſcipiunt, præcepti illius Horatiani immemores:

> *Sumite materiam veſtris qui ſcribitis æquam*
> *Viribus.*

Equidem non ignoro fuiſſe, qui acerbiùs eum de Ambacto, Gigantibus, Paradiſo, Noachi arca, & Nilo fluuio perſtrinxerint. Sed amici ſui patrocinium Læuinus Torrentius præfando ſuſcepit. Atque vt non omnes hac in re habeat adſtipulatores, his tamen lucubrationibus ſuis altiſsimarum diſciplinarum arcana plurima è tenebris in lucem eruit, atque ad eadē accuratiùs cognoſcenda doctorum ingenia mirificè exacuit. Ceterum ætate grandior, ceteris ſe functionibus abdicans, in bibliothecam ſe abdidit: quamquam à Philippo II. Hiſp. Rege, ad valetudinis ſuæ curam, ingēti pollicitatione, ac regali torquis aurei munere accerſeretur. Summa in gratia Groeſbechij Cardinalis & Eburonum Principis fuit, multiſque ab eo donis honeſtatus. Leodico Traiectū Moſę à Medinæ Cæli Duce euocatus, cùm podagra tentatus, Moſæ flumini pedes, artis ſuæ oblitus, intuliſſet, letalem in morbum incidit, fatoq; functus eſt IV. Kal. Iulij. CIƆ. IƆLXXII. ætatis LIII. Moriens domum, vxorem, (quam & perhoneſtam & prædiuitē duxerat) liberos, & ingenij ſui partus nondū editos (euulgarat autem viuens *Origines Antverpianas*) Torrentio commendauit; qui poſtea Plantino Architypographo Regio eius *Hieroglyphica* cum adiunctis publicannda dedit, & marmoreum hoc illi Epitaphium Traiecti ad

Moſam

Moſam in Æde primaria D. Seruatio ſacra ponendum curauit.

D. O. M.

IOANNI GOROPIO BECANO DIVINAR.
ATQ. HVMANARVM RERVM BONARVMQ.
ARTIVM PERITISSIMO
CATHARINA DE CORDIS VXOR ET
FILIOLAE DVAE CONIVGI AC PARENTI
DVLCISS. CVM LACRYMIS POSS.
PROCVRANTIBVS LAEVINO TORRENTIO ET GASPARE SVRCHIO QVIBVS ILLE RES SVAS MORIENS COMMENDAVIT.
VIXIT ANN. LIII. OB. IIII. KAL. IVL.
A. M. D. LXXII.

Hermannus Cruſerius.

HERMANNVS CRVSERIVS Græcis potiſsimùm litteris delectatus nō postremas tulit, neque ignauiæ dandum ſe ratus, *Galeni* quædam, & *Plutarchi* omnia fideliùs, vt Critici exiſtimant, quàm Guil. Xylander, Latinè reddidit. Inde ad Philoſophiæ & Medicinæ artem ſe contulit; qua in re, vt ſuos inter familiam duceret, magno illo adiumento Græcæ litteræ fuêre, quæ cùm omni ſtudioſorum ordini, tum Medicis maximè neceſſariæ iudicantur, quòd à

Græcis ea potiſsimum ars fluxerit, exulentque nunc à ſcholis Arabum ſomnia atque deliramenta. *Hippocratem* Medicorum principem aggreſſus, præclaros in eum *Commentarios* edidit. Quo nomine Guilielmo Cliuorum Regulo gratus, & à conſiliis, dum filiam eius Boruſsiæ Principi deſponſam duxiſſet, ad ſtationem reuertens in itinere moritur; plura haud dubiè commentaturus, niſi immatura mors doctiſsimi hominis conatus, in medio curſu, & quaſi in herbis abrupiſſet CIↃ. IↃLXXIII. Amici næniis funus proſecuti ſunt: in his non nemo his verſibus parentauit.

Ergo Boruſsiacis CRVSERIVS *hoſpes in aruis*
Extremo clauſit triſtia fata die?
Qui, ſi quiſquam alius mortali lege creatus
Viuere dignus erat, viuere dignus erat.
Attica mutaret meliùs qui verba Latinis,
Haud ſcio num tulerint ſecula noſtra virum.
Donauit Latio non paucula ſcripta Galeni,
Hippocrati veram tradidit atque facem.
Et quæ Chæroneus monumenta reliquerat auctor,
Parte ſui numeris reddidit Auſoniis.
O vtinam vitæ duraſſent ſtamina, donec
Lima foret ſcriptis addita ſumma bonis!
Multa etenim paſsim media vix parte parata,
Nullius ingenio perficienda iacent.
Effigies Veneris ſic imperfecta remanſit,
Quam mira Coüs pinxerat arte ſenex.

Ioan-

Ioannes Teiſnerus.

QVis in IOANNIS TEISNERI ſedato vultu adeò verſatile ingenium latuiſſe crediderit? Hic enim immenſo captu, vaſtaque memoria ſcientiarum omnium rationes, ſummoſque apices cōplexus, Iuris Pontificij ac Cæſarei Doctor, Philoſophus, Mathematicus, idemque Poëta laureatus, ac Muſicus excellens, eas omnes artes cum laude profeſſus eſt. Romę etiam ac Ferrarię cum Mathemata traderet, homo peregrinus, trecentorum amplius auditorum corona quotidie cingebatur. Pòſt in aula Caroli V. Cæſaris regios pueros erudiit; quem & in Africana expeditione Tunetenſi ſecutus, Siciliam ac Melitam inſulas luſtrauit. Auſus eſt & in Peripateticorum principem Ariſtotelem *de motu* ſtilum ſtringere; vtque alter Archimedes inuſitatas nauium fabricas excogitauit. De *magnetis* item *natura*, cuius magnus hodie in nauigaudo vſus, nonnulla conſcripſit. In ea verò Iudiciariæ parte, quę manuum lineamentis præſtigias quaſdam atque impoſturas falsò comminiſcitur, vt illa ferebant tempora, ſtudij plus quàm par erat, operæq; poſuit. Cuius fallacis artis vanitas (ſi artis modò nomine dignamur id genus ineptias) noſtra memoria à Sixto V. Pont. Max. fulmine dānata, manibúſque excuſſa, fumi inſtar euanuit.

I. Fontani.

TEisnervs *iacet hîc parua reſupinus in vrna,*
Qui vaga, dum vixit, ſidera tranſiliit.
Quò non dexteritas, quò non prænobile magni
Pertigit ingenium, cura laborque viri?

Nicaſius Ellebodius.

NEc prætereundus mihi eſt Nicasivs Ellebodivs, qui noſtra memoria apud Italos doctrinæ gloria itidem floruit. Vixit is diu in contubernio Antonij Cardinalis Granuellani; cui & *Nemeſium de Natura hominis* a ſe Latinum factū (vt erat Græcè doctiſsimus) inſcripſit veróq; parenti partum illum vindicauit, falsò ad eum diē Nyſſeno Gregorio, cuius alius de homine libellus exſtat, ſuppoſitum. Pôſt Vincentio Pinello Liguri nobiliſsimo iuxtà ac doctiſsimo adhęſit, & eos in Philoſophicis ac medicis ſtudis progreſſus fecit, vt ab Italicis etiam Medicis, in his Melchiore Guilandino apprimè laudaretur. Doctoris laurea à Patauinorum Medicorum Collegio, mirifico omnium conſenſu, donatus, in Poloniam ſe contulit, ibidemque, vt opinor, in viuis agere deſijt.

Ioan-

Ioannes Stadius.

IOANNES STADIVS ignobili quidem in vico Loenhoutio agri Brabantini natus, ſed excellenti fuit ingenio, vt non à patria decus mutuari, ſed ipſe præſtare videatur. Louanij ſumma celebritate hiſtoriam publicè è T. Liuio explanãs, in L. Annæi Flori (ſic enim I. Lipſius V. Cl. rectè appellat) Hiſtoriæ Romanæ Epitomē egregium *Commentarium*, poſt Ioannem Camertem, ſcripſit. Omni ferè doctrina liberali imbutus, Mathematicis potiſsimùm excelluit, vt vix parem in ea arte ætas noſtra tulerit. In contubernio Roberti à Bergis Eburonum Prçſulis & Principis verſatus, *Tabulas*, exemplo Alphonſi cognomento Sapientis Hiſpanorum Regis, conſcripſit, inſcripſitque *Bergenſes*. Gratus eodem tempore Allobrogũ Regulo, pòſt etiã Nobilibus & aulicis, qui vt otioſi ferè homines, ex Horoſcopo Chaldæorum ac Genethliacorũ ſomnia, hoc eſt, euẽta caſusq; incertos prçcipere àc prçſcire, inani quadã ac vetita curioſitate, auẽt. Hinc ad Laurinos fratres Brugis Flandrorum Nobiles ſe contulit, & Faſtos Rom. pòſt ab Hub. Goltzio editos illuſtrauit. Deinde Lutetiã Pariſiorum, nominis celebritate ſcriptis parta, ab Hẽrico III. Galliarũ Rege euocatus, victis facilè cõpetitoribus, omniũ ſuffragiis Regius Profeſſor eſt ſalutatus, humaniterq; ibidẽ habitus, in ſuburbio demũ Honoratiano domi Mareſchalli Retzij diẽ clauſit extremum. Io. Metellus amicũ defunctũ hoc ſepulcrali ornauit Elogio.

IEHO-

IEHOVÆ SACR.

IOAN. STADIO MATHEMATICO AB EDITIS TABVLIS EPHEMERIDIBVS ASTROLOGICIS COMMENTARIISQ. HISTORIARVM ET ACVMINE INGENII CLARO PHILIPPI HISP. REGIS HONORARIIS LOVANIVM DEIN LVTETIAM AB HENRICO III. GALLIAE REGE AD PVBLICAM EARVM DISCIPLINARVM QVAS CELEBRI STVDIOSORVM CONCVRSV ILLIS IN ACADEMIIS DOCVIT PROFESSIONEM ADSCITO.

IO. MATALIVS METELLVS SEQVANVS IC CELTA AMICO BELGAE MEMORIAE CAVSSA.

VIXIT ANN. LII. MENSES FERE II.

OBIIT XV. KAL. QVIN. ANNO CIↃ. IↃLXXIX.

Philippi AuenellI.

Dum numeris cælum metitur, & ignea cæli
Sidera, perq́ ſuas iam docet ire vias:
Et quid ab antiquo deflexerit ordine, curſum
Quâ cieat varians quiſque Planeta, notat.
Ecce tibi ſubito lucis malè cautus obortæ
Puluere in hoc STADIVS, *percitus igne, iacet.*
Imò animus cælos nota regione ſecutus,
Iam ſua metitur ſidera. Lector aue.

DE-

DECAS VII.

Philoſophi & Philologi.

RVDOLPHVS Agricola Friſius Groningenſis.

Alardus Amſtelredamus Batauus.

Cornelius Crocus Amſtelr. Soc. IESV.

Ioannes Stannifex Goſletanus,

ET

Ioannes Beuerus Angianus Hanno.

Auguſtinus Hunnæus Machlinienſis.

Ioannes Rubus Hanno.

Chriſtophorus Longolius Machlin.

Petrus Gallandius Aërienſis Artheſius.

Carolus Fernandus Brugenſis,
Perſevaldus Belligenius Brug.
Nicaſius Vordanus Machlin. } *cæci*.

Ioannes Deſpauterius Niniuita Fland.

ET

Iudocus Badius Aſcenſius Brabantus.

Rudol-

Rudolphus Agricola.

VT ex equo Troiano meri Heroes, ſic è Belgio multi Philoſophiæ ac Philologiæ Principes, maiorum memoria, extiterunt. Sed quem RVDOLPHO AGRICOLÆ anteponas? Is apud Friſios in ditione Groningana ruri natus, puer Louanij in Gymnaſio Falconēſi Philoſophicis ſtudiis operam poſuit. Guſtatis ibidem Theologiæ rudimentis, in Galliam, indeq; in Italiā, ad excolendum magis ingenium, proficiſcitur. Ferrariæ Theodorum Gazam hominem Gręcum, Ariſtoteleæ Philoſophiæ dogmata tradentem, perſtudioſè audiuit. Dignus ſanè tanto magiſtro diſcipulus, cuius etiamnum *Inuentionis Dialecticæ Præceptiones*, non minùs auidè, quā fructuoſè, expetūtur. Fuit vir omninò egregius, Muſicæ, Picturæ, ceterarumq; artium apprimè ſtudioſus, idemque eruditiſsimus & Græcis litteris & Latinis, Poëticesq; bene peritus. Quo nomine plerique Italiæ, ac Germaniæ clariſsimis doctrina viris innotuit. In patriam reuerſus, annos aliquot Groningанæ Reipub. Syndicum egit, cuius negotiorum ergô in Maximiliani I. Cæſaris aula ſemeſtri ſpacio hæſit, votiq; compos ad ſuos rediit. Cumque famę celebritate eſſet iam abſentibus notus, Antuerpienſes, & alij certatim honeſto & amplo eū ſtipendio ad ſcholæ Præfecturā inuitârunt. Heydelbergenſem tamen conditionem prætulit, qua in Academia, totaque adeò Germania Græcas litteras primus excitauit, ac Philoſophicis iuuentu-

tem

tem tres ipſos annos exercuit. Obiit Heydelbergę abreptus ante diem, anno CIↃ. CCCC LXXXV. Conditus apud Franciſcanos (ſic enim iuſſerat) habitu S. Franciſci. Tumulũ poſuit Hermolaus Barbarus, tum apud Cæſarẽ Legatus, pòſt Aquileienſis Patriarcha.

INuida clauſerunt hoc marmore fata RVDOLPHVM
AGRICOLAM, *Friſij ſpemq́; decúſque ſoli.*
Scilicet hoc vno meruit Germania, laudis
Quidquid habet Latium, Græcia quidquid habet.

Qui quidem verſus tabulæ inſcripti parieti adhærent, hac epigraphe ſuperaddita:

RODOLPHI AGRICOLAE PHRISII MEMORIAE POSVIT VIGLIVS ZVICHEMVS.

In ſarcophago autem iſta ſolùm legas.

DEPONENTI ANATHEMA
RELINQVENTI BENEDICTIO.

Alardus Amſtelredamus.

AB illuſtri Batauorum emporio Amſtelredamo, in quo natus, cognomentum ALARDVS induit: qui quaſi alam ac turmam militum in gliſcentes iam tum Hæreticorũ factiones duxiſſe videtur. Naſcente enim apud Batauos Rebaptiſatorum, ac Sacramentariorũ peſte, impios eorum conatus, quà concionãdo aſsiduè, quà ſtilum verſando, fregit; eoque magis *SS. Euchariſtiæ* Sacramento addictus, eius myſterium dignitatémque ſcriptis variis aſſeruit ac vindicauit:

Inuidiâ Iano rumpantur vt ilia Caluo.

Coloniæ

Coloniæ Vbiorum, ac pòſt Louanij in ſtudiis acquieuit, ſacra aſsiduè tractãs; nec ab interioribus abhorrens litteris, Muſis fauentibus carmen interdũ quoq; pangebat. Græcarum etiã litterarum non imperitus: quibus artibus ſciolorum nouis ſectis ferè fauentiũ faſtum retudit. Audiuit in Theologicis Ruardum Tapperũ, & Iacobum Latomum, primi nominis tum profeſſores. Martino etiam Dorpio cõtubernalis, amicitia eruditorum hominum, in his Deſ. Eraſmi, Lud. Viuis, Fr. Craneueldi, Pet. Ægidij, & aliorũ æqualium floruit. Ad Dialectica quod attinet, cũ Rudolphi Agricolæ Methodi eſſet ſtudioſiſsimus (cuius & ſcripta omnia euulganda curauit) formauit & deſcripſit *Eccleſiaſten* ſeu *Concionatorem* iuxta Locos eius Inuentionis; vtq; oues lupũ fugere, paſtores arcere diſcãt, Hæreticũ viuis ſuis coloribus depinxit. Moritur pius Sacerdos Louanij, anno ſal. CIↃ. IↃXLI. legata teſtamẽti tabulis Bibliotheca patrij ſoli pupillis. Fortunatus ſanè illius exitus fuit, qui ea non vidit, cũ fierẽt, quæ præuidit futura. Sæpe enim inter ſuos impẽdentia patriæ mala defleuit, cũ belli huius inteſtini cauſſas in Nouatorum factionibus incluſas videret. A cuius belli miſeriis, quibuſcum tot annos cũflictamur, mors præueniens virum optimum vindicauit.

Totum te ſtudiis impendis ALARDE *iuuandis,*
Sollicitatq́; tuas Hæreſis orta manus.
Et ſi quid Logica eſt præcellere in arte; RVDOLPHVM
AGRICOLAM *æqualis gloria, téq́; manet,*

Cor-

Cornelius Crocus.

ALTER in ſtadium Athleta, ciuis ac contubernalis Alardi, CORNELIVS CROCVS prodeat. Is pueriis litteris, quæ verè vt ſunt, ita & appellantur humanitatis, imbutus, Louanij Grudiorum in eloquentia Hadriano Barlando Rhetori operam dedit. Quibus & Græcas, vt in vtriuſque orationis facultate par eſſet, adiunxit, & quod rei caput eſt, pietatem in primis colens, decurſis Theologiæ ſpatiis, ſacris operari cœpit. Nec piguit puduítve, cũ maioribus titulis ac pręmiis dignus eſſet, ludum in patria aperire, quò iuuentutẽ illã indolis inter Batauos optimæ optimis diſciplinis ac moribus iam inde à teneris imbueret, atque in auita religione contineret; ratus, quòd res eſt, ſeminaria Reipub. bene conſtitutæ iuuentutem eſſe, quam qui rectè informet, eum de Repub. quàm optimè mereri. Serpebat enim iam tum furtim per Batauiam hæreticorum labes, cui ſemina iacere cœperant praua Eraſmi Colloquia. Quò etiã conſilio pias caſtáſque ſuas *Loquẽdi Formulas*, vt impias illas è manibus excuteret, pueris conſcripſiſſe videtur. Luſit & *Ioſephi* nomine Comœdiam ſacram, potiùs quàm Eunuchum Terentianam ediſci pateretur; vt caſtitatis exemplar tamquam in ſpeculo proponẽs, eam ipſam virtutem adoleſcentibus inſtillaret. Nam vt Carus Poëta ait:

— Veluti pueris abſynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flauóque liquore;
Vt puerorum ætas improuida ludificetur
Labrorum tenus, interea perpotet amarum
Abſynthi laticem, deceptáque non capiatur,
Sed potiùs tali iactu recreata valeſcat:

Sic & à iuuentute virtus, ſi qua fortè in ea amarities, ſuaui Poëticæ liquore faciliùs hauritur. Cumq; diu multúmq; hoc Siſyphi ſaxũ voluiſſet, & ingratum eſſet Magiſtratum expertus, indignans nonnumquam Scipionis illud Africani in ore habebat, *Ingrata patria oſſa non leges mea.* Scriptis etiam Eccleſiæ cauſſam defendendam ſuſcipiens, eius auctoritatem, contra aduerſarios ac deſertores, è Scriptura ſacra Patribúſque aſſeruit. Pugnauit & validè cum Anabaptiſtis, quibus aquatica illa Batauorum ac Friſonum ora, (ingenium loci diceres, ſi non hominum id vitium foret) nimis referta eſt. Matrem quoad vixit, domi piè aluit; quò factum eſt, vt cùm maximè vellet, non ſe iuuenis religioſæ alicui familiæ conſecraret. Illa iam ſenio extincta, liber in Italiam euolauit, & in Societatem ab Ignatio Loiola Romæ receptus, exactis ſummo zelo annis aliquot, Deo auctori ſpiritum in Vrbe ſancta, immortalitatis ſpe plenus, reddidit.

Ioannes Stannifex,
ET
Ioannes Beuerus.

NEOPTOLEMI illud apud Ennium laudat M. Tullius: *Philoſophandum eſt, ſed modicè; nam omnino non placet.* Iure itaq; Louanienſis Academia, ex quo litteræ interiores tamquam è tenebris exiſtere cœperunt, Sophiſticam ablegauit, doctiſque Viris Philoſophiam illuſtrandi negotium dedit. In his quidem Organum Ariſtoteleum IOANNI STANNIFICI Goiletano Theologo, cuius in illud *Commentarij,* quos Louanienſes vocant, ad hunc diē ſine nomine circumferũtur: *Libros* verò *de Phyſica Auſcultatione,* ſocióſq; libellos IOANNI BEVERO Hannoni commiſit. Ii annos plurimos Porcenſi in Gymnaſio iuuentutē, quà diſſerendo, quà dictando exercuère, vt ſeculi ſui Philoſophorum Principes audirent. BEVERVS quidem in eo ſtudio ætatem conſumpſit, vt qui annos XXIII. in eadem profeſsione cōſtanter perſtitit. Moritur demum annos natus XLVIII. conditurque in D. Petri, ad aram B. Cypriano Martyri ſacram, hac diei obitus notatione.

MAGISTER IOANNES SIRIACOPS
A BEVRIS OBIIT ANNO DOMINI
CIↃ. IↃLXIII. VI. NOVEMBR.

I. Fontani.

BEVERE *dum Sophiam illuſtras, & inania pellis*
Somnia, ſis promus condus ARISTOTELIS.
Nunc calos colis, & quas rerum hic dicere cauſſas
Non poteras, plenis inde vides oculis.

Auguſtinus Hunnæus.

AVGVSTINVM HVNNÆVM Theologica laurea inſignem nemo Philoſophis miretur annumerari, vt qui litteris Latinis & Græcis non infeliciter imbutus, Philoſophiæ præcepta Louanij Caſtrenſi in Gymnaſio annos plurimos ſumma cum laude tradidit. Nam *Prodidagmatibus Logices*, ac *Dialecticis* ex Ariſtotelis Logicis feliciter ibidem conſcriptis,non vulgarē nominis famam, in Philoſophicis ſcholis promeruit. Pòſt Doctor Theologus renunciatus, Libros IIII.Sententiarum Regius Profeſſor explicauit. D. Thomæ item ſummam Theologicam è membranis emendauit,vnà cum Antonio Senenſi Luſitano Ord. Prædicatorum. *Catechiſmum* item *Catholicum*, & *de SS. Sacramentis Axiomata* typis Plantinianis euulgauit. Deceſsit Pręſes maioris Theologorum Collegij anno CIƆ. IƆLXXVIII. morte quidem, ſi ætatem ſpectes, non ſat matura fortaſſe, ipſi tamen opportuna, quòd alteram tempeſtatem patriæ imminentem effugerit.

Beyrlin-

Beyerlinchl.

QVòd cæcis quondam verborum immerſa tenebris,
Nunc mage Phœbæa lampade clara micent:
Quodque ſuos linquant contorta ſophiſmata inorſus,
Exuat & laqueos Amphibolia ſuos:
Id facit HVNNÆVS, *Sophicæ qui prætulit arti*
Arte facem, & Logicum nobile texit opus.

Ioannes Rubus.

VT ceteræ ferè diſciplinæ è Grudiis Duacum tamquam in coloniam ductæ, ſic & Philoſophia. RVBVS enim ætatis ſuæ egregius Philoſophus è Standonico Gymnaſio honorificè euocatus, ſemina veluti iecit eius ampliſsimæ ſegetis, quæ pôſt enata eſt, *Organo Ariſtotelis*, poſt Boëthium aliosque, denuò conuerſo. Doctoris deinde Theologi laurea ornatus, collegit *Quattuor Euangeliorum* elegantem *Harmoniam*, & ad D. Petri apud Duacenos Præpoſitus, morte obita CIↃ. IↃXCV. facultates egentibus aliquot in ſtudiis alendis reliquit.

Chriſtophorus Longolius.

SI M. Tullio Ciceroni eloquentiæ primas damus; meritò Tranſalpinorum omnium eloquentiſsimus audit LONGOLIVS, qui peritè admodum verba illius ſingula rebus aptando ſublegit. Hunc Machlinienſes, vti de ſe ipſe teſtatur, ciuem eſſe dicunt ſuum; Batavi, Deſiderio auctore, ſibi vindicant; Pariſienſes repetunt, ſuumq; eſſe confirmāt. Puer admodum, cum vix annos nouem natus eſſet, à parentibus Lutetiam miſſus, celeriter omnibus in artibus, quibus ætas puerilis imbui ſolet, ita profecit, vt æquales ſuos omnes doctrinæ gloria longè præſtaret. Inde digreſſus, Philippum Decium celebrem Iuris interpretem, qui tum Valentiæ Cauarum, maximo auditorum concurſu, ius docebat, annos aliquot perſtudiosè audiuit. Pòſt ab amicis Lutetiam, vt ius ibi exerceret, reuocatus, tantam laudem, cum agendo tum reſpondendo, adeptus eſt, vt vixdum biennium in Iuriſconſultorum ſubſelliis verſatus, in Centumuirale illud Concilium, quod ſolis antea ſenibus patebat, admodum iuuenis adlegeretur. Relicto deinde foro, cum maioris gloriæ cupiditate flagraret, Hiſpaniam vniuerſam, Britanniam, Germaniam, Galliam, aliasq; prouincias emenſus eſt.

Demum

Demum Romam veniens, Leone X. Pontifice adeò texit ingenium, vt rubro pileo, & adſtricta penula Germani militis habitum mentiretur. Sed intranti Gymnaſium, & acutè diſputanti, litterarum Profeſſores celeriter & comiter perſonam detraxerunt: ita vt mox honeſtiſsimi quique ciues Romani certatim domum ſuam inuitarint, & eloquentiæ nomine, ciuitatis iure donarint. Verum aliquantò poſt liber maledicus emerſit, quo Romani nominis dignitatem grauiter læſiſſe credebatur. Infremuit populus Rom. & contumeliam interpretatus eſt, Celſo Mellino adoleſcente clariſsimo diſerta oratione in Capitolio tamquam reum maieſtatis accuſante. At LONGOLIVS, quamquam publicatis Orationibus duabus ſeſe purgaſſet, populi tamen furori cedendum ratus, in Galliam reuertit. Cedentem verò iidem ipſi mox Romani, propoſitis à Leone X. ingentibus litterarum prœmiis, reuocarunt. Sed procella iſta quodammodo reiectus ac repulſus, Alpibus quidem traiectis in Italiam remeauit; omni tamen repetendæ vrbis cogitatione depoſita, Patauij ſe continuit, & Reginaldo Polo Regiæ ſtirpis Britanno pòſt Cardinali perpetuò adhæſit. Erat temporibus iiſdem iucundus Iacobo Sadoleto, colebatur à Petro Bembo, & omnes qui aliquid de ingeniis poterant iudicare, amicitia atque honore dignum exiſtimabant.

Neque verò minori apud Reges ac Principes gratia floruit. Natus annos duodeuiginti Philip-

po I. Hiſpaniarum Regi ſuo Principi gratus admodum fuit, ab eoque ſanctioribus illis reconditarum rerum notis, quibus ferè regnorum arcana cõmitti ſolẽt, præfectus. A Pannonię proceribus, magnis propoſitis prœmiis, inuitatus, vt Regem puerum, optimis artibus inſtituendum ſuſciperet. A Ludouico XI. Galliarum Rege multis honoribus adfectus, rogatuſque nõ ſemel, vt ſedem ſtudiorum in Gallia poneret. Leo quoque Pontifex, quãquam Patauij agenti, ſumptus ſtudiorum liberaliter de priuato ærario ſuppeditauit, & in palatinum, aulæq́; Lateranenſis comitatum vltrò cooptauit. Quo etiam hortante, cauſſæ totius Lutheranæ oppugnationem ſuſcepit. Atque eam quidem Orationibus quinque complecti ſtatuerat, breuique perfeciſſet, excogitatis iam ſecum, quæcumq; dicenda forent; niſi prima abſoluta, (quæ ſæpiùs typis excuſa omniũ manibus teritur) immatura mors conſilium eius præſcidiſſet. Vix enim quartum & triceſimum ætatis attigerat, cum febri correptus, eodem quo ipſe Põtifex anno CIↃ.IↃ XXII. exſtinctus eſt; ea animi tranquillitate decedens, qua hominem in litteris educatum decuit; cùm in vltimis etiam doloribus, ad amicos litteras propinqui obitus ſui, tamquã profectionis alicuius à ſe inſtitutę, nuntias daret. Conditus eſt Patauij in D. Franciſci, habitu eiuſdem Ordinis, vt Picus antea Mirãdulanus, & è noſtris Rudolphus Agricola. Hoſpiti ſuo tumulum Bembus exſtruendum curauit.

CHRI-

CHRISTOPHORO LONGOLIO BELGAE
ROMANAM CIVITATEM PROPTER EXI-
MIAM IN STVDIIS LITTERARVM PRAE-
STANTIAM ADEPTO
SVMMO INGENIO INCREDIBILI INDV-
STRIA OMNIBVS BONIS ARTIBVS PRAE-
DITO SVPRA IVVENTAE ANNOS IN QVA
EXSTINCTVS EST MAGNO CVM ITALIAE
DOLORE CVI INGENTEM SPEM SVI NO-
MINIS EXCITAVERAT
PETRVS BEMBVS AMICO ET HOSPITI
POSVIT.

TE iuuenem rapuère Deæ fatalia nentes
Stamina, cum ſcirent moriturum tempore nullo
LONGOLI,*tibi ſi canos,ſeniumq́ʒ dediſſent.*

Vitam eius,quę ſine nomine cum Epiſtolis circumfertur,ſcripſit Reginaldus Polus adoleſcens, vt in huius vita refert Andreas Dudithius. Ioan. Latomus hoc ingenioſum illi luſit Epigramma.

ILla caput regni,Phœbiq́ʒ Lutetia nutrix
LONGOLIVM *ciuem dixerat eſſe ſuum.*
Interea attollens ſimiles Machlinia criſtas,
Aſſeruit titulo non grauiore ſuo.

Roma ſed indignans, meus eſt ſi Tullius, inquit,
Non hic, & adſcripſit, non meus eſſe poteſt.
Proſiliens tandem titulis Schonhouia veris,
Dulcibus ex hortis flore reuincta caput:
Gaudeo, quod Batauam vel nunc amplecteris aurem,
Roma, ait; at partum tu mihi redde meum.
Septem vrbes certent de ſtirpe inſignis Homeri;
Quattuor eſt harum lis ſpecioſa magis.

Nic. BorbonI.

N*Vper apud Manes crudeli funere raptum,*
LONGOLIVM *Cicero vidit, & obſtupuit.*
Quis nouus hic error? noſtri altera venit imago?
Vtra (ait) vmbra mea eſt, aut vter eſt Cicero?

Petrus Gallandius.

ENNII illud ex Euripidis Medea verum eſſe reipſa docuit GALLANDIVS; *Multi ſuam rem bene geßère, & publicam patria procul.* Is Aëriæ apud Atrebates natus, Franciſco Primo Galliarum Rege litteras præmiis & honoribus excitante, Lutetiæ Pariſiorum Boncourtianum Gymnaſium inſtaurauit, illique multos annos cum imperio præfuit. Regius Latinarum litterarum Profeſſor ſalutatus, & virtutis ergô Canonica ad S. Mariam in ea vrbe dignitatis auctus,

ctus, inter primos liberales diſciplinas in Gallia iacentes politioris doctrinæ luce illuſtrauit. Cui & hoc debet Gallia, quòd pleriq; noſtri æui meri litterarum heroës, quos inter familiam ducit Hadr. Turnebus Galliæ ocellus, vt ipſe ingenuè Aduerſariorum libris confitetur, (eſt enim ingenui agnoſcere per quem profeceris) eius è ludo, tamquã ex equo Troiano prodiêre. Collegas verò Cathedræ Regiæ PETRVS in Græcis nactus eſt, Iac. Tuſanum Gallũ, & Io. Straſeliũ Balliolanum Flandrũ: quorum hic primus pænè Græcas Lutetiam litteras, tamquam è fuga obtorto collo, reuocauit: eiuſque *Notas in aurea Pythagoræ Carmina* Franc. Torius ciuis euulganda curauit. Cumq; ea tempeſtate P. Ramus ſeditioſus Orator diſciplinas turbaret, atque adeò non modò M. Tullium, Fabium, & Euclidem, ſed & aureum illud doctrinæ flumen Ariſtotelem, in ſcholis ad hanc diem receptos, è manibus iuuentutis excutere, vt ſua incautis obtruderet, niteretur: primus ferè tamquam Athleta ſeſe GALLANDIVS obiecit, habita moxq; edita bene lõga ac diſerta *Oratione*. Hunc ſecuti Ant. Goueanus Luſitanus, Ioach. Perionius Benedictinus, Matth. Boſſulus, & qui ceteros acrimonia ac doctrina vicit, Iac. Carpentarius Philoſophus & Med. edito in Alcinoũ de Platonis & Ariſtotelis conſenſione vaſto Cõmentario, quo omnium de Theſſalo Oſſato (ſic enim Methodicũ ex Galeno nominat) iudicia collegit, cauſſamq; eius fortiter iugulauit. Scripſit & PETRVS in *Quintilianũ* me-[illegible]rem à ſe factũ *Argumẽta*; *Orationem* itẽ alterã de

Fran-

Franciſci I. laudibus veri ſtudiorum parentis. Cum Turnebo & in Belgium aliquando profectus, Bibliothecas veteres excuſsit, eruitque non pauca; vt Cromaticos, ſeu de limitibus agrorum Scriptores. Moritur ſenio laboribusq; confectus circa annum CIↃ. IↃLIX. relicto herede vt officij ſic & doctrinæ *Guil. Gallandio*, fratris filio, cuius è Gymnaſio Dan. Augentius, & Matth. Boſſulus Pariſienſis, qui Valentiæ Edetanorum in Hiſpania dicendi olim gloria floruit, clari exſtiterunt. Tumulum Hadr. Turnebus poſuit, hosque verſus inſculpendos curauit.

Debueras fuluo, mi frater, ſtare metallo,
Ob meritum grato cultus ab orbe tuum.
Hîc tua ſed ſaxo, frater, tego membra rigenti,
Proq; meis opibus te pietate colo:
Immemor accepti dum ceſſat muneris orbis,
Nec conferre tibi debita buſta parat.

Eiuſdem in Epitaphio Ioach. Bellai.

GALLANDI, *columen decúſque Phœbi*
Viuebas, Academiaq; Princeps:
Nec vir maximus oderas puſillum
Qui te ſuſpiciebat HADRIANVM,
Et te plùs oculis ſuis amabat:
Heu te tormina ſæua ſuſtulerunt,
Dira & proluuie cruoris aluus:
Nec te Pergamei, ſeniſque Coi
Hoc morbo potuit leuare cura.
Phœbus nunc, & Hiantiæ ſorores

Ne

Ne lugubria, ne nigros amictus,
Triſtes funere quos tuo gerebant,
Ponant, continuetur vt nefaſtus
Luctus, victima concidit Poëta
En noſter, Stygio Ioui ſacrata.

Sed & alter gratus auditor Fed. Iamotius Belga hoc illi Cenotaphium ſuis in Poëmatis poſuit.

HOCCE COMMVNIS TVMVLI MONIMENTVM REIP. LITTERARIÆ C. ET INLVSTRAND. III. VIRIS. IOANNI STRASELIO FLANDRO GRAECAE LITTER. PETRO GALLANDIO ATREBATI LATIAE ART. HVMANIT. HADRIANO TVRNEBO NORMANNO VETERIS GRAEC. PHILOSOP. REGIIS QVONDAM APVD LVTETIAM PARISIORVM PROFESS. EIVSDEMQ. ACADEMIAE COLVMINIBVS ET ORNAMENTIS PRAECEPTORIBVS O. D. S. MERENTIBVS PRISTINAE IN VIVOS AC MORTVOS PIETAT. C. FEDERICVS IAMOTIVS BETHVN. MED. P. C. S. V. T. I.

Eiuſdem.

QValem perempto Diua mater Memnone,
Denſis amicta nubibus,
Pallente mœſtum, & languido vultu diem
AEgris tulit mortalibus:
Talis recurrit axe nuper Gallico
Sol aurei dux luminis,

Cum

Cum fata multis flebilem GALLANDIVM
Tulêre nobis inuida.
Obſcurus aër, & nigra ferrugine
Obducta forma ſiderum:
Calúmque ventis ac procellis turbidum:
Turbata terris omnia;
Fleuêre Nymphæ morte raptum peſſima
Suum ſibi GALLANDIVM.
Fleuit miſellus & Aganippidum chorus,
Fleuit miſellus & pater.
Fleuit bonorum turba, fleuit ciuitas
Mæſtis referta luctibus.

Carolus Fernandus, Parſevaldus Bellіgènius, ET Nicaſius Vordanus.

QVis inter Belgas etiam Didymos reperiat? Patrum tamē memoria CAROLVM FERNANDVM, PERSEVALDVM BELLIGENIVM, & NICASIVM VORDANVM luminibus captos doctrina floruiſſe, atq; adeò de ſuperiore loco docuiſſe conſtat. FERNANDVS Brugis Flandrorum natus, licet cæcus, tantos in ſtudiis proceſſus fecit, vt Orator, Poëta, Philoſophus, ac Theologus inſignis audiret, & ſacras etiam litteras Pariſiis publicè interpretaretur. Pòſt ſpretis omnibus, D. Benedicti regulam inſtitutumque in Vincentiano apud Cenomanos monaſterio (quod Caſalinum vulgò dicũt) amplexus, ſcripſit

(quæ

(quæ quidem typis Badianis ſunt edita) *De animi tranquillitate Libros duos*, totidéq; *De immaculata Virginis Cõceptione* aduerſus Vincentiũ à Nouo Caſtro, & *Collationũ Monaſticarũ* lib. IV. aliaq; inędita adſeruantur. Piè moritur CIↃ.CCCCXCVI. Frater illi fuit *Ioannes*, ob Muſicę artis peritiam Galliæ Regi admodum carus, qui diurnas *S. Crucis ac B. Virginis* Precationes, aliaque varia carmine conſcripſit.

BELLIGENIVS Brugis pariter cæcus natus, Lutetiæ quoq; CIↃ.IↃXXX. floruit, & iuuentutẽ Bogardicã in Gymnaſio Geruaſiaco inſtituit. Vtq; ſe ipſe conſolaretur, in *Quinctiliani* (vt falsò creditur) *Pro cæco contra nouercam Declamationem* Scholia Notaſque luſit, & edidit; Symboli loco illud Pſalmiſtæ vſurpare ſolitus, *Dominus illuminat cæcos*.

NICASIVS Machlinia oriũdus, iam inde à tertio ętatis anno oculis captus, Louanij Theologię laureã adeptus, & Rom. Põtifice indulgẽte ſacerdos creatus, publicè ad populũ (vt ad ſodales ſuos CAROLVS) de verbo Dei doctiſsimè prõptiſsiméq; diſſeruit, ac cetera fere ſacerdotũ munia dextrè admodũ obiuit. Inde Coloniã in Vbios profectus, cũ Iuriſprudẽtiæ totũ ſe ſtudio dediſſet, Leges quas nunquã legerat, ſed auditu tantũ perceperat, ſic mẽte tenuit, & ore palã recitauit, vt cõmunibus Academici Senatus ſuffragiis Doctor ſit renũtiatus. Scripſit & hic (quis credat?) *Cõmentarios in Lib. IIII. Inſtitutionũ Iuſtiniani. Imp.* identidẽ publicatos; atq; eâdẽ pene tẽpeſtate vita ibidem deceſsit CIↃ.CCCCXCII. in maiori Æde SS. triũ Magorũ Orientaliũ honorificè cõditus. Nos autẽ tribus iſtis cæcis hoc epicœdion cecinimus.

Magna

Magna paro modicis audax intexere chartis.
Tréſne oculis captos laudo? ſat vnus erat.
Saluete Heroës, patriæ tria lumina, cæci,
Quale in Alexandri Didymus vrbe fuit.
Quiſquis veſtra terit manibus, ſunt Lyncea, clamat,
Auctoréſque oculis non caruiſſe putat.

Ioannes Deſpauterius,
ET
Iudocus Badius.

NE ſuus Belgis deeſſet Priſcianus, Niniue, quę Ninouia vulgò, Flãdrię oppidũ, IOANNEM DESPAVTERIVM, Grãmaticorum ſui temporis Coryphæum extulit: vt & in Synodo Machlinienſi Patres Alexandro a Villa Dei, & aliis exploſis, vnum illum iuuentuti in manus tradendum decreuerint. Legerat diligenter Italos, qui ſuam paullò ætãtem anteceſſerãt, Litteratores ad vnũ omnes, & de Belgis Ioannem Cuſtodem Brechtanum, è quo & ſua hauſit pleraque. Summa illi cum Iudoco Badio, & Iacobo Meyero aliiſque tum doctrina claris viris familiaritas erat; quibuſcum & ſuas ipſe vigilias communicabat. Siluiducenſi in oppido apud Brabantos, Bergis S. VVinnoci, Cominiique apud Flandros ludum litterarium aperuit: vbi & cõditum hoc diſticho Hadr. Hecquetius Atrebas cohoneſtauit.

Hic

Hic iacet vnoculus, viſu præſtantior Argo,
Flandrica quem Niniue protulit; at caruit.

Badio natale ſolum Aſca, vetus & opulentum Bruxellenſis agri municipium, *Aſcenſij* cognomen fecit. Adoleſcens Gandaui in Fratrum D. Hieronymi, qui tum celebria per Belgium Gymnaſia habebant, diſciplina fuit, vnde fortaſſis ab educationis loco Gandenſis à plerisque eſt habitus. Erat Italia tunc plena optimarum artium; ad quas perdiſcendas eò tranſiit, & Baptiſtam Guarinum celebrem vtriuſque linguę Profeſſorem Ferrariæ diligenter audiuit. Inde Lugdunum in Galliam profectus, nobiles adoleſcentes domi ſuæ inſtituit, publiceq́; veteres Poëtas explicauit; quos etiam pleroſque familiari, vt appellat, *Commentario* explanatos pòſt euulgauit, facili illo quidem, vt illorum temporum captus erat, ſed non ſatis erudito fortaſſe ac copioſo. Demum Lutetiam Pariſiorum concedens, celebre in ea vrbe Typographejum inſtituit, artemque recens natam non parum auxit. Deſiderius in Ciceroniano Dialogo, cum Budæo Galliæ ornamento Badivm componere non erubuit: quæ res æquales Gallos Iul. Cæſarem Scaligerum, & Steph. Doletum, vt contra eum Dialogum acerbiùs ſcriberent, incitauit.

DECAS VIII.

Linguarum cultores.

DESIDERIVS Eraſmus Roterodamus.

Conrardus Goclenius VVeſtphalus.

Petrus Nannius Alcmarianus Batav.

Cornelius Valerius Vltraiectinus.

Guilielmus Canterus itidẽ Vltraiect.

Nicolaus Clenardus Diſtemius Brab.

Rutgerus Reſcius Moſeicanus Eburo,

E T

Ioannes Campenſis Tranſiſalanus.

Andreas Maſius Bruxellenſis.

Carolus Langius Gandenſis.

Ioannes Liuineius itidem Gandenſis.

Deſide-

Deſiderius Eraſmus.

DESIDERIO ERASMO Roterodamo liceat mihi in hac Litteratorum claſſe principem locum dare, vt qui primus quaſi ſignum quoddã ex arce Palladiâ ad litteras cũ Græcas, tum Latinas inſtaurandas extulit. Is adoleſcens magno illi Alexandro Hegio VVeſtphalo, qui Dauentrienſi Gymnaſio tum celeberrimo præerat, quique Græcas litteras primus in Belgiũ, vt in Germaniam Rudolphus Agricola, inuexit, in diſciplinã eſt traditus. Ætate prouectior Canonicorũ Auguſtinianorũ familię, ad Goudam Batauorum oppidũ, adſcribitur; vſus ibidem pręceptore Cornelio Aurelio eiuſdẽ inſtituti ſodale, cui ob Poëticæ atq; Oratoriæ facultatis præſtantiam Maximilianus I. Imp. abſenti laurum Apollineam vltro detulit. Pòſt Louanium, indeque Lutetiam, moxque in Italiam trãſiit, & Marci Muſuri hominis Gręci, Aldi Manutij, aliorumque doctiſsimorum virornm amicitiâ floruit. Vtque erat peregrinationis amans, pleraſque Chriſtiani Orbis Academias, magna celebritate famæ, quà docendo, quà ſcribẽdo obiuit; maior & apud poſteros futurus, ſi minor eſſe voluiſſet. Nam ſi intra profeſsionis litterariæ terminos ſubſtitiſſet, ſeque totum hiſce ſtudiis; quibus in primis natus erat, dedidiſſet, haud dubiè cum primis illis Latini

 ſermo-

ſermonis auctoribus paria facere potuiſſet. At verò poſtquam Theologum agere cœpit, ingenio fiſus nimium ſibi ſumpſit ac tribuit; dumque in tractandis ſacris litteris, veterumque Patrum ſcriptis, ſeuerum nimis ſe præbet Ariſtarchum, nominis ſui auctoritatem vehementer labefactauit. Vtinam verò minore ſupercilio ac candidiore animo ad hæc eadem tractanda ſe contuliſſet; vel amicis ſaltem, in his Thomæ Moro, Didaco Stunicæ, & Martino Dorpio, ad ea quæ peccarat, D. Auguſtini exemplo, retractanda hortantibus obtemperaſſet!

Iani Vitalis.

LVbrica ſi tibi mens fuit, & ſpinoſior æquò,
Ingenium certè nobile ERASME *fuit.*
Felix, ſi miſtas labruſcas dulcibus vuis
Prodiga deſiſſet vinea ferre tua.

NATVS EST ROTERODAMI BATAVORVM ANNO SALVTIS HVMANÆ CIↃ. CCCCLXV.

OBIIT BASILEÆ HELVETIORVM V. IDVS IVLII ANNO CIↃ. IↃXXXVI. ÆTATIS SVÆ LXX.

Conrar-

Conrardus Goclenius.

MAGNAM certè gratiam æternùm debet Academia Louaniẽſis Hier. BuſlidI Aërienſis apud Arteſios Eccleſiæ Antiſtitis Manibus, qui, Deſ. Eraſmo hortante, facultates ſuas alumnis aliquot, tribúſq; adeò linguarũ trium alendis Profeſſoribus, Collegio ære etiam ſuo exædificato, & *Trilingui* hinc dicto, impendit. Trium, inquã, linguarum, Latinæ, Gręcæ atque Hebraicæ, quas in Cruce CHRISTVS Seruator ſanguine ſuo cõſecrans, his Euangeliũ in omnes Orbis partes effudit. Primus linguæ Latinę Profeſſor GONRARDVS GOCLENIVS renuntiatus eſt; quamquam Iacobus Ceratinus Hornanus vtriuſque linguæ bene peritus competitor concurreret. Annos ipſos XX. quibus publicè profeſſus eſt, auditoribus ſuis adeò gratus fuit, vt eos nec aſsiduitate, ſatiârit vnquam, nec diuturnitate laſsârit. Magna certè felicitas, quæ duobus maximis viris Lactãtio Firmiano, & Rudolpho Agricolæ non obtigit, quorum alter ab auditorio deſertus eſt, alter contumeliis euictus auditorium deſeruit. Pręter *Scholia in M. Tullij Officia*, Latinum fecit *Luciani Hermotimum, ſiue de ſectis Philoſophorum Dialogum*. Quem Thomas Morus Angliæ Cancellarius, cui bene longa & docta præfatione inſcripſerat, tanti ęſtimauit, vt interpretem inaurato poculo aureis Anglicis referto remuneratus ſit; exiſtimans auream viri eloquentiam auro, eoq; copioſiſsimo, com-

penſandam. Aliud magni nihil elaborauit, vt honoris minimè ſtudioſus; niſi quod in Adagiis colligendis, aliiſque Deſiderium iuuiſſe fertur, qui per iocum de illo dicere ſolebat, maluiſſe obeſulum, quàm πολυγράφον eſſe. Abundè tamen ſpecimen ſui dedit, quantum in vtroque ſcribendi genere valeret; neq; minus ideò laudãdus videtur, quod pauca ad poſteritatẽ tranſmiſerit, cũ vt è veſtigio Hercules, ſic è ſcriptis pauculis ingenij doctrinęq; preſtãtia facile poſsit cognoſci. Quare meritò hic Martialis illud per parodiam vſurpẽ:

Laudatur magis in Libro GOCLENIVS *vno,*
Quam leuis in tota Marſus Amazonide.

Perpetuò Louanij hæſit, vt litteras apud Belgas eſfloreſcentes magis magiſque excitaret, quamquam Canonicum Antuerpiæ Sacerdotiũ merito ſuo nactus eſſet. Vixit annos vndequinquaginta. Obiit CIƆ.IƆXXXV. ante diem VIII. Kal. Febr. Conuerſioni D. Pauli Apoſtoli ſacrũ. Funebri eũ oratione, quæ exſtat, Petrus Nannius laudauit.

Tumulus Louanij ad D. Petri.

CONRADVS *iacet hîc Goclenius, alter Eraſmus*
Ingenio, lingua, moribus, atque ſtilo.
Hunc lugete virum Græcæ, Chariteſq; Latinæ,
Et decus amiſſum Buſlidiana domus.
Ille ſcholarum auxit pomeria lata LouanI,
Traxit eò omnigenûm millia multa virûm.
Immatura quidem rapuit te Parca diſertum,
Vix dum condideras integra luſtra decem.
Præmia ſed voluit CHRISTVS *tibi digna labore,*
Et feſtinatas reddere delicias.

Andr.

Andr. ReſendI Luſitani.

GOCLENI *Ambroſiam ſapiunt tua verba, Latino*
Siue tono, Samióve capis dicenda ſonare:
Seu Ciceronis opus, ſeu carmina dia Maronis
Enarras, nemo Ciceronem, nemo Maronem
Enarrare putat, Ciceronem, ipſúmque Maronem
Audit. Vtrumque etenim ſic exprimis ipſe, Poëta,
Clarus & Orator, poßis vt vterque videri.

Petrus Nannius.

PETRVS NANNIVS, Alcmaria Batauiæ oppido haud procul à litore maris Oceani ortus, vir comis & blandi ingenij, Conrardo Goclenio in profeſsione Latinarum litterarum, communibus omnium votis, ſuccenturiatus eſt. Carus in primis ob ſingularem eruditionem excellentibus in Belgio doctrina viris, ſummaq; dignitate præditis, in his Nicolao Euerardo Præſidi, doctiſsimíſque eius liberis, & Atrebatiũ Antiſtiti Ant. Perenotto pôſt Cardinali, aliisq;. Famâ deinde, vt fit, in dies magis magiſque notus, ab Italis, & præſertim à Iacobo Fliſcô Genuenſi Epiſcopo Sauonenſi magnis ſtipendiis in Italiã inuitatur. Cumque lingua vtraque doctiſsimus, atque in auctoribus cùm ſacris tũ profanis egregiè verſatus eſſet, multas vtriuſque generis Scriptorum veterũ, puta *Demoſthenis, Plutarchi, Syneſÿ,*

& de Chriſtianis *Athanaſij, Chryſoſtomi, Baſilij*, aliorumque lucubrationes Latina ciuitate donauit. Sed & è ſuo ipſe penu plurima deprõpſit, in his *Miſcellaneorum in varios auctores libros X. Panegyricas & Litterarias Orationes totidem*, quique præ cæteris ſcriptis palmam obtinent *Dialogiſmos Heroinarum VII.* Nam in hoc genere regnaſſe illum, præter Italos acuti iudicij homines, teſtatur Corn. Muſius Martyr & Poëta egregius. Scripſit & in *Cantica Canticorum* ac *Salomonis Sapientiam Scholia & Commentarium*: Notas item ad *Ambroſij*, vt vulgò creditur, *aduerſus Symmachum Relationem. Pſalmos* quoque *Dauidis* plurimos non infeliciter verſibus reddidit; quos cum Iac. Latomi Pſalmis Plantinus edidit, noſque auctiores apud heredes vidimus. Moritur Louanij anno partæ ſalutis CIↃ. IↃLVII. & tumulo datur in Æde primaria D. Petro Apoſtolorum Principi ſacra.

PETRO NANNIO ALCMARIANO PRESBYTERO ET CANONICO ATREBATENSI VIRO DOCTISSIMO HVMANIORES LITTERAS IN COLLEGIO BVSLIDIANO ANNOS XVIII. PROFESSO SIGISMVNDVS FRIDERICVS FVGGARVS BARO IN KIRCHBERG ET VIANA B. M. ET AMICO PATERNO MEM. ET VIRTVTIS ERGO IVSSV PARENT. POS. VIXIT ANNOS LVII. OBIIT CIↃ. IↃLVII. XII. KAL. AVGVSTI.

Hadria-

Hadrianus Hecquetius Atrebas Carmelita, Doctorque Theologus his verſibus amici ſui funus eſt proſecutus.

NANNIVS *Alcmariis fuerat qui natus in oris,*
Tectus arenoſo conditur ecce loco.
Heu quanta probitate virum mors inuida ſtrauit!
Heu quantum noſtro ſuſtulit orbe decus!
Hunc coluêre olim Graca, Latiaq; Sorores,
Hunc fouit gremio doctus Apollo ſuo.
Hunc ſtudioſa cohors ſæpe eſt mirata docentem,
Mirata eſt tanti labra diſerta viri.
Et nunc qui toties veterum monumenta relegit,
Qui toties cecinit carmina priſca, tacet.

A. Schotti.

NANNI *Caſtalidum decus Sororum,*
Quiſquis te videat, tuóſque fetus,
Haud Nanum vocitet, ſed ô Gigantem.

Cornelius Valerius.

VALEBIT, opinor, ſemper CORN. VALERII viri eruditi, præceptoriſque eximij memoria, cum diſcipulorum eius inſignis turma, Lipſij, Schotti, Canteri, ceteri occurrent. Ille ditionis Vltraiectinæ oppido, quod vulgò Aquas-veteres nominant, oriundus, in litteris interioribus adoleſcens ſic æqualibus antecelluit, breui vt eas Vltraiecti, vbi hæc tum ſtudia florebant, ſit pro-

feſſus. Dein Petro Nannio apud Louaniẽſes defuncto, ad Collegium Trilinguæ Buſlidianum honorificè euocatus, in eo munere ita ſe geſsit, vt Nobilitatis Belgicæ florem ad ſe audiendũ quotidie aduentantem dimitteret doctiorem. Ciceronem autem & Vergilium, quos in ſcholis, eloquentiæ parandæ gratia, regnare par eſt, vicisſim explanabat. Vtq; ad poſteros etiam manaret vtilitas, ad ſcribendum quæ rectè cogitaſſet, obſeruaſſetque, animum appulit. Orbem itaque diſciplinarum caſto & eleganti ſtilo abſoluit, quem Plantinus identidem cupidè euulgabat, & ſcholæ cum plauſu excipiebant. In his *Grammatia, Rhetorica, Dialectica, Ethica, Phyſica* & *Aſtronomica*; quæ cũm Sebaſtiano Foxio Hiſpalenſi, Philoſopho æui ſui diſertiſsimo, iiſdem veſtigiis inſiſtẽte, diligenter conferebat. Carmen interdũ quoq; pangebat non infeliciter, luſitq; *Triumphum Caroli V. Cæſaris* vrbem Vltraiectinam ſolemni põpa ingredientis. Fuit ſingulari vir humanitate & comitate, quæ propria ferè litteratorum laus eſt; habuitque Collegas, Græcarum quidem litterarum Doctorem Theodoricum Langiũ Enchuſanum, Hebraicarum verò Petrũ Smengã Friſium Medicum ac Philoſophum. Obiit Louanij pius Sacerdos III. Idus Auguſti CIↃ.IↃ LXXIIX. natus annos ſex & LX. ſæpe pedum dolore tentatus, hilari tamen (quod & Socrati tribuunt Cicero & Agellius) atque æquabili ſemper vultu.

Gui-

Guilielmus Canterus.

NATVS eſt CANTERVS Vltraiecti ad Rhenũ familia antiqua & clara. Puer ſcholam patriam, cui Georgius Macropedius tum præerat, obiuit. Annos XII. natus, Cornelio Valerio linguam Latinã Louanij in Gymnaſio Trilingui profitẽti in diſciplinã datur. Huius lateri annos amplius IV. adhæſit, & admodum adoleſcens Tragœdias Latinè cõſcripſit. Inde in Gallias profectus, Ioanni Aurato Regio tum Græcarum litterarum Profeſſori, & æui ſui ſummo Poëtæ in primis carus ac contubernalis fuit. Sed turbis ciuilibus exortis, cùm Galliæ Academias pleraſq; luſtraſſet, Italiam ingeniorum parẽtem adiit. Bononiæ Carolo Sigonio vſque adeo gratus fuit, vt *Nouas* ei *Lectiones* inſcribendas putârit. Pòſt Louanium per Germaniam reuerſus, tam immodicè ſtudiis ſe tradidit, vt mortem properaſſe putetur. In certas operas diem ita partiebatur, vt alia ante meridiem, pomeridianis horis alia ſtudia tractaret. Simile de Plinio ſuo ſcribit & iactat alter Plinius. Atqui ignauum & deſidem illum dixeris, ſi cum hoc aſsiduo atque indefeſſo ingenio compares. Omnes non ſolùm dies appẽdit, & numerauit ad ſtudiorũ tractationẽ, ſed horas etiã ſingulas ad clepſydrã diuiſit, & attribuit huic lectioni, aut huic ſcriptioni: quod niſi ipſe Præfatione in Phyſicas Stobęi Eclogas teſtaretur, incredibile fortaſſe videri queat. Atque his quidẽ continuis labo-

laboribus culmen ſolidæ eruditionis attigit, atq; in Græcis ac Latinis ad ſummam laudem peruenit, vt doctrina ætatē tranſierit. Bibliothecā habuit inſtructiſsimam, collectis ex media Italia & Græcia libris calamo exaratis, quos extrudere aliquando decreuerat. Sed vt optima quęque diurnare non ſolent, longa tabe exſtinguitur Louanij, cum tertium & triceſimum ætatis nōdum attigiſſet; cuius immaturo interitu magnū Grecæ Latinæque litteræ damnum fecerunt. Præter *Nouas Lectiones* tertiū auctas & recognitas, ſcripſit *Notas in Officia & Epiſtolas M. Tullij, Scholiaq; in Propertiū, Ael. Ariſtidis Orationes Lycophronis Caſſandrā: Thucydidis quoq;, Syneſij, Euripidis, Ioannis Stobæi*, aliorumque varia opera de Græcis Latina fecit.

Defuncto tumulū ab D. Iacobi poſuit THEODORVS frater & bibliothecæ heres.

NOBILI VARIAQVE ERVDITIONE
VTRIVSQVE LINGVAE MONVMENTIS CLARO VIRO GVILIELMO CANTERO
QVI XXXIII. ANN. NATVS MINVS LXVI.
DIEBVS OBIIT XV. KAL. IVNII
A. CIↃ. IↃLXXV.
FRATRI SVO CARISSIMO THEODORVS
CANTERVS POS.

Nico-

Nicolaus Clenardus.

EXOTICARVM linguarum peritia, vel exterorum hominum teſtimonio, Belgarum pænè propria eſt. Argumento in eruditis linguis vnus è millibus CLENARDVS ſit, qui eaſdem via ac ratione traditas, non Louanij modò, ſed apud exteros etiam, magna ſui admiratione, propagauit. Teſtantur id Libri *Epiſtolarum peregrinationis ſuæ*, quarum pleraſque Iacobo Latomo Doctori ſuo, Ioachimo Politæ, Rutgero Reſcio, aliiſq; amicis inſcripſit. Lutetiæ G. Budæo Græcarũ tũ litterarum Coryphæo innotuit; indeque in Hiſpaniam profectus, Salmanticæ aliquamdiu ſubſtitit ac docuit. Mox à Rege Luſitaniç amplo ſtipendio euocatus, libens paruit; Regiſque fratrem erudiendum ſuſcipiens, in gratia Principum acquieuit. Pòſt ſtudio diſcendæ linguæ Arabicæ, commeatu accepto, in Africam Tingitanã (quæ hodie Feſſæ regnum) traiecit; vt ſacra Biblia in eam linguam transferens, gentem illam Mahumetana inquinatã perfidia CHRISTO tranſſcriberet, eiuſque linguæ profeſsionẽ ceteris in Academia Louanienſi adiungeret. Nam præter Latinam, Grçcam & Hebræã, (quæ in omnibus pene Academiis regnant) *Arabicam* quoque *Grammaticã* conſcripſit; extatq; manuſcripta in Hiſpania apud I. Pereſium Valentinum hominem doctiſsimum. Ex Africa in Europam, quòd inſidiis ſe peti ſentiret, tranſmittens, hoſpitio à N. Mendozæ

doza Marchione Mandechari Prorege Granatenſi excipitur; moriturque Illiberi (quæ hodie Granata eſt) circa annum, opinor, CIↃ.IↃXLII. & conditur in ſacello loci editioris, vbi poſt vrbi defendendæ arx eſt conſtituta. Diſcipulum reliquit *Ioannem Latinum* Æthiopem (quod prodigij ſimile eſt) Rhetorẽ Illiberitanum, cuius Poëma exſtat Panegyricum de nauali Ioannis Auſtriaci ad Echinadas Iuſulas victoria.

I. Fontani.

MOnſtrat iter Solymũ Campenſis, Graius Apollo eſt
RESCIVS; *elabi Ciceronis ab ore videtur*
Linguæ Suada tua NANNI, *blandiq; lepores.*
CLENARDVS *variare vices, tripliciq; ſonare*
Ore docet, gratáque leuat nouitate laborem;
Vnus & Auſonij ducit per culmina montis,
Nunc & Idumæas, & per Pipleidas vndas.

Rutgerus Reſcius, ET Ioannes Campenſis.

VNO mihi Elogio illuſtres aliquot Græcarum, atque Hebraicarum in Trilingui Studiorũ Gymnaſio Buſlidiano Profeſſores ornandi. RVTGERVS RESCIVS cum Louanij celebre Typographeium inſtituiſſet, vt erat ſingulari vir doctrina, Græcos auctores plurimos accuratè à ſe caſtigatos, typis euulgauit, & quaſi primus in hoc orbe, vt apud Italos Aldus Manu-

tius

Digitized by Google

tius Maior, protulit, in manusque legendos publico commodo dedit.

Huius munus THEODORICVS LANGIVS Enchuſanus Batauus excepit, qui Burdigalæ multos annos antea profeſſus fuerat, & I. Cæſaris Scaligeri, aliorumq; illo in tractu doctorum hominum amicitia floruerat.

IOANNES CAMPENSIS verò *Hebraicæ Grammatices Præceptionibus*, doctaque in *Pſalmos atq; Eccleſiaſten Paraphraſi* conſcriptis, cum magnum ſibi nomen peperiſſet, à Leone X. P. M. acri illo ingeniorũ æſtimatore in Vrbem euocatur. A quo benignè exceptus habitúſque, opimo etiam ſacerdotio dotatus, dum in Belgiũ reuertit, epidemica in itinere correptus lue, Friburgi apud Heluetios, heu procul à patria, interit.

Huius in locum ANDREAS GENNEPIVS Balenus Brabãtus ſuccedẽs, annos ipſos XXXVI. continenter ſacram linguam apud Grudios docuit, obiitque ætatis quarto & octogeſimo, IV. Idus Febr. CIↃ. IↃ LXVIII. & PETRO PIERIO SMENGÆ Friſio lampada tradidit.

Andreas Reſendius Luſitanus CAMPENSI familiari ſuo hoc encomium iã olim decantauit.

NVm Solymæ capiunt, Lector, te oracula vatum
Gentis, & à prima naſcentis origine mundi
Vis veri reſponſa Dei, legémque, Dracone
Contempto, ex ipſo demiſſam quæris Olympo?
CAMPENSIS *tibi ductor adeſt, qui gutturaformet,*
Terrenteſq; ſonos Latiam ſtribligine Muſam,
Inſuetæque domet linguæ dumeta magiſter.

Andreas

Andreas Maſius.

QVERANTVR meritò non mei ciues modò, ſed exteræ etiam nationes, ſi ANDREAM MASIVM ſilentio tranſeam; qui tot gentium linguis atque litteris, raro certè exemplo, & magno Catholicæ Eccleſiæ commodo, excultus nomen cum omni poſteritate adæquauit. Nam præter eximiam Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, & linguarum exoticarum cognitionem, cùm Romæ ageret, tantam linguæ Syriacæ notitiam, Moſe Mardeno, Patriarchę Antiocheni ad Gregorium XIII. Pont. Max. Legato, docente, breui adſecutus eſt, vt aliquanto pòſt Neſtoriani populi Patriarcha pariter Romam veniente, nemo illo aptior repertus ſit, qui quas hic à ſuis popularibus attulerat Syriacas litteras, interpretaretur. Cumque hoc ageret Philippus II. Rex Catholicus, vt Ptolomæi Regis, qui duos & ſeptuaginta Interpretes euocauit, & Franciſci Ximenij Cardinalis Toletani exemplo, qui Compluti Biblia eruditis linguis euulgauit, eadem auctiora ad poſteros tranſmitterentur; MASIVS Antverpiam honorificè euocatus, vnà cum Bened. Aria Montano Hiſpalenſi hanc verè regiam editionem adornauit; primuſque Syriacum idioma *Grammaticis Præceptionibus & Lexico* illuſtrauit. Magna illi cum Læuino Torrentio & Augerio Buſbequio familiaritas fuit, qui & illius conſilio plurimum dignitate creuiſſe ſe ingenuè profitebatur.

batur. Romæ quoque Antonio Auguſtino, Pontificiarum tum cauſſarum Iudici, pòſt Tarraconenſi Archiepiſcopo, aliiſque præſtantibus viris doctrinæ nomine innotuit. Moritur Zeueneræ, Duci Cliuenſi à Conſiliis, eidémque admodum carus VII. Idus April. anno CIↃ.IↃLXXIII. quo & Hermannus Cruſerius collega in Boruſsiaco itinere periit.

Carolus Langius.

QVAM laudem Dionyſio Lōgino Eunapius tribuit, ea CAROLO LANGIO noſtra ætate obtigit, vt ſummus æui ſui Criticus in receſendis melioris notę libris & eſſet, & haberetur. Teſtâtur id pereruditæ *in M. Tullij Officia*, adiunctóſque libellos, poſt Lambinum, Emēdationes, quales & in totum Ciceronem meditabatur. Cœperat & Senecam, Solinum, ac Suetonium ſcholiis illuſtrare, multaq; in Plinio, Theophraſto, & Dioſcoride aliis non viſa obſeruarat; quæ ſiue morte præuentus, ſiue modeſtia adductus non euulgauit. Fuit enim hoc ingenio LANGIVS, vt ea ſcire vellet, quæ ſcire eum nemo ſciret; atque vt virtutem Stoici, ſic ille doctrinam pretium ſibi ipſam putare videbatur. Latebat ille ſuos inter libros, aut hortorum ſe ſpatiis ſepibuſque claudebat. Erat enim vnicus amator florum & hortorum, quos impenſo ſtudio ad extremam vſque ætatem coluit, bulbis Tuliparum, Tibcadorum,

atque id genus florum, abuſq; Byzantio petitis. Intima illi cum I. Lipſio Cl. V. familiaritas fuit; cuius iudicium quanti idem in tanta amicorum copia fecerit, argumento eſt, quòd in aureo illo de Conſtantia libro vnicum diſſerentem atque firmantem in aduerſis induxerit. Fuit enim vir omnino prudens ac perhumanus, & quo ſat ſcio radij Solis

Meliorem nullum illuxère alterum.

Læuinus Torrentius, qui tum Brabantiæ Archidiaconum Leodici agebat, bibliothecam amici, ne Penthei in morem, vt accidere pleriſque deploramus, diſcerperetur, ſuo ære coëmit; & defunctum ad D. Lamberti, qua in æde Canonicum tenuerat ſacerdotium, condidit.

CAROLVS LANGIVS IC.

VIR VT SCRIPTA EIVS TESTANTVR
DOCTISSIMVS
CVI LAEVINVS TORRENTIVS
ET
IOANNES DOVERINVS
COLLEGAE
MONVMENTVM POSVERVNT
OBIIT CIↃ. IↃLXXIII. IV. KAL. AVGVSTI.

B. Ariæ

B. Ariæ Montani.

Vltra in te ſpectem virtutum munera, LANGI,
Doctrinam in ſtudiis, ſeu probitatem animi?
Concedis nulli: ſola hac ſub iudice lis eſt,
An doctrina in te, vel probitas ſuperet.

Ioannes Liuineius.

ABSIT, vt extremum pietatis munus IOANNI LIVINEIO collegæ meo non perſoluam, cui propter communis vitæ ſocietatem arctè ſum deuinctus. Is Clara Læuini Torrentij ſorore natus, ab auunculo Coloniam Agrippinam adoleſcens miſſus eſt, vt Græcis litteris perinde ac Latinis imbueretur. Qua in vrbe ea rei litterariæ iecit fundamenta, vt in vtriuſque linguæ, ac præſertim Græcę cognitione paucos ſeculum noſtrum pares tulerit. Ætate maturior Louanij Michaëli Baio, ceteriſq; Theologis operam aſsiduè dedit. Quo tempore honeſto Leodici ab auunculo tum Brabantiæ Archidiacono ornatur ſacerdotio; vertitque de Græco *Nyſſenum Gregorium de Virginitate*, atque eadem ipſa de re *Ioannem Chryſoſtomum*, tametſi hunc Iulius Pogianus elegantiùs tamen quàm fideliùs, illum vero Petrus Galeſinius conuertiſſent. Sed & Græcam LXXII. Interpretum Bibliorum

verſionem cum libris calamo exaratis, vnà cum Guil. Cantero, comparauit, cum Philippi II. Regis Catholici auſpiciis ad Complutenſem editionem typis Plantinianis excuderetur. Hinc Romam, Vaticanæ excutiendæ Bibliothecæ gratia, profectus, Guil. Sirleto & Ant. Carafæ doctiſsimis Cardinalibus, eiuſdemque Bibliothecæ ex ordine Præfectis, ob ſingularem Græcarum litterarum peritiam, carus in primis fuit. Multa inde deſcribendo eruit, & veterum monumenta varia cum membranis conferendo, bonas horas in Vrbe collocauit. *Theodori* quoque *Studitæ Catecheſes* cxxxv. è Sirleti Bibliotheca, quæ nunc Aſcanij Columnæ Card. primus in lucē attulit, Latináſque à ſe factas ſcholiis illuſtrauit. Creato pòſt Torrentio Antuerpienſium Antiſtite, Canonica & Cantoria in ea Eccleſia dignitate cohoneſtatur; cuius & oculos ibidem clauſit. Apoplectico demum correptus morbo, cum auunculo ſuo annos tres & menſes octo ſuperuixiſſet, iam quinquagenarius vita deceſsit, dum *Panegyriſtas veteres* XII. eruditis à ſe Notis illuſtratos (Criticus enim acri in primis iudicio fuit) Officina Plantiniana in lucem proferret. Meditabatur hortantibus amicis, in his Andr. Schotto, de Græcis Patribus Gregorium Nyſſenum potiſsimum in apertam lucem Græcè proferre; cùm quod primus ingenij partus fuiſſet, tū quòd eum Græcè non exſtare integrum moleſtè ferret. Sed hæc & alia molientem in ipſo curriculo mors abripuit, vt aliis lampada tradidiſſe videatur.

Præter

Præter *Nyſſeni Opera*, latent apud heredes *Ioannis Chryſoſtomi Epiſtolæ, Andronici Imp. CP. Diſputatio, Euripidis Tragœdiæ Athenæi, Dipnoſophiſtæ*, aliaque de Græcis Latina facta, & cum MSS. comparata. Conditus eſt Antuerpiæ in ampliſsima Deiparæ baſilica ad auunculi tumulum, hoc Elogio.

D. O. M.

IOANNES LIVINEIVS GANDENSIS
LIVINI TORRENTII ANTVERP. EPISCOPI
EX SORORE N.
CANONICVS ET CANTOR HVIVS ECCLES.
QVI VT GENERE ET ERVDITIONE
SIC ET TVMVLO PROXIMVS AVVNCVLO
HIC QVIESCIT
A GRAECIS PATRIBVS ILLVSTRANDIS
IN QVA LINGVA VALDE EXCELLVIT
E MEDIO CVRSV ABREPTVS
CHRISTI A. CIƆ IƆXCIX. IDIB. IAN.

laboribus culmen ſolidæ eruditionis attigit, atq; in Græcis ac Latinis ad ſummam laudem peruênit, vt doctrina ætatē tranſierit. Bibliothecā habuit inſtructiſsimam, collectis ex media Italia & Græcia libris calamo exaratis, quos extrudere aliquando decreuerat. Sed vt optima quęque diurnare non ſolent, longa tabe exſtinguitur Louanij, cum tertium & triceſimum ætatis nōdum attigiſſet; cuius immaturo interitu magnū Gręcæ Latinæque litteræ damnum fecerunt. Præter *Nouas Lectiones* tertiū auctas & recognitas, ſcripſit *Notas in Officia & Epiſtolas M. Tullij, Scholiaq; in Propertiū, Ael. Ariſtidis Orationes Lycophronis Caſſandrā: Thucydidis quoq;, Syneſij, Euripidis, Ioannis Stobæi*, aliorumque varia opera de Græcis Latina fecit.

Defuncto tumulū ab D. Iacobi poſuit THEODORVS frater & bibliothecæ heres.

NOBILI VARIAQVE ERVDITIONE VTRIVSQVE LINGVAE MONVMENTIS CLARO VIRO GVILIELMO CANTERO QVI XXXIII. ANN. NATVS MINVS LXVI. DIEBVS OBIIT XV. KAL. IVNII A. CIↃ. IↃLXXV.
FRATRI SVO CARISSIMO THEODORVS CANTERVS POS.

Nico-

Nicolaus Clenardus.

EXOTICARVM linguarum peritia, vel exterorum hominum teſtimonio, Belgarum pænè propria eſt. Argumento in eruditis linguis vnus è millibus CLENARDVS ſit, qui eaſdem via ac ratione traditas, non Louanij modò, ſed apud exteros etiam, magna ſui admiratione, propagauit. Teſtantur id Libri *Epiſtolarum peregrinationis ſuæ*, quarum pleraſque Iacobo Latomo Doctori ſuo, Ioachimo Politæ, Rutgero Reſcio, aliiſq; amicis inſcripſit. Lutetiæ G. Budæo Græcarũ tũ litterarum Coryphæo innotuit; indeque in Hiſpaniam profectus, Salmanticæ aliquamdiu ſubſtitit ac docuit. Mox à Rege Luſitaniç amplo ſtipendio euocatus, libens paruit; Regiſque fratrem erudiendum ſuſcipiens, in gratia Principum acquieuit. Pòſt ſtudio diſcendæ linguæ Arabicæ, commeatu accepto, in Africam Tingitanã (quæ hodie Feſſæ regnum) traiecit; vt ſacra Biblia in eam linguam transferens, gentem illam Mahumetana inquinatã perfidia CHRISTO tranſſcriberet, eiuſque linguæ profeſsionẽ ceteris in Academia Louanienſi adiungeret. Nam præter Latinam, Grçcam & Hebræã, (quæ in omnibus pene Academiis regnant) *Arabicam* quoque *Grammaticã* conſcripſit; extatq; manuſcripta in Hiſpania apud I. Pereſium Valentinum hominem doctiſsimum. Ex Africa in Europam, quòd inſidiis ſe peti ſentiret, tranſmittens, hoſpitio à N. Men-

doza

doza Marchione Mandechari Prorege Granatenſi excipitur; moriturque Illiberi (quæ hodie Granata eſt) circa annum, opinor, CIↃ.IↃXLII. & conditur in ſacello loci editioris, vbi pòſt vrbi defendendæ arx eſt conſtituta. Diſcipulum reliquit *Ioannem Latinum* Æthiopem (quod prodigij ſimile eſt) Rhetorē Illiberitanum, cuius Poëma exſtat Panegyricum de nauali Ioannis Auſtriaci ad Echinadas Iuſulas victoria.

I. Fontani.

Monſtrat iter Solymū Campenſis, Graius Apollo eſt
RESCIVS; *elabi Ciceronis ab ore videtur*
Lingua Suada tua NANNI, *blandiq; lepores.*
CLENARDVS *variare vices, tripliciq; ſonare*
Ore docet, gratáque leuat nouitate laborem;
Vnus & Auſonij ducit per culmina montis,
Nunc & Idumæas, & per Pipleidas vndas.

Rutgerus Reſcius, ET Ioannes Campenſis.

VNo mihi Elogio illuſtres aliquot Græcarum, atque Hebraicarum in Trilingui Studiorū Gymnaſio Buſlidiano Profeſſores ornandi. RVTGERVS RESCIVS cum Louanij celebre Typographeium inſtituiſſet, vt erat ſingulari vir doctrina, Græcos auctores plurimos accuratè à ſe caſtigatos, typis euulgauit, & quaſi primus in hoc orbe, vt apud Italos Aldus Manutius

tius Maior, protulit, in manuſque legendos publico commodo dedit.

Huius munus THEODORICVS LANGIVS Enchuſanus Batauus excepit, qui Burdigalæ multos annos antea profeſſus fuerat, & I. Cæſaris Scaligeri, aliorumq; illo in tractu doctorum hominum amicitia floruerat.

IOANNES CAMPENSIS verò *Hebraicæ Grammatices Præceptionibus*, doctáque in *Pſalmos atq; Eccleſiaſten Paraphraſi* conſcriptis, cum magnum ſibi nomen peperiſſet, à Leone X. P. M. acri illo ingeniorũ ęſtimatore in Vrbem euocatur. A quo benignè exceptus habitúſque, opimo etiam ſacerdotio dotatus, dum in Belgiũ reuertit, epidemica in itinere correptus lue, Friburgi apud Heluetios, heu procul à patria, interit.

Huius in locum ANDREAS GENNEPIVS Balenus Brabãtus ſuccedẽs, annos ipſos XXXVI. continenter ſacram linguam apud Grudios docuit, obiitque ætatis quarto & octogeſimo, IV. Idus Febr. CIↃ. IↃ LXVIII. & PETRO PIERIO SMENGÆ Friſio lampada tradidit.

Andreas Reſendius Luſitanus CAMPENSI familiari ſuo hoc encomium iã olim decantauit.

NVm Solymæ capiunt, Lector, te oracula vatum
Gentis, & à prima naſcentis origine mundi
Vis veri reſponſa Dei, legémque, Dracone
Contempto, ex ipſo demiſſam quæris Olympo?
CAMPENSIS *tibi ductor adeſt, qui guttura formet,*
Terrenteſq; ſonos Latiam ſtribligine Muſam,
Inſuetaque domet linguæ dumeta magiſter.

Andreas

Andreas Maſius.

QVERANTVR meritò non mei ciues modò, ſed exteræ etiam nationes, ſi ANDREAM MASIVM ſilentio tranſeam; qui tot gentium linguis atque litteris, raro certè exemplo, & magno Catholicæ Eccleſiæ commodo, excultus nomen cum omni poſteritate adæquauit. Nam præter eximiam Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, & linguarum exoticarum cognitionem, cùm Romæ ageret, tantam linguæ Syriacæ notitiam, Moſe Mardeno, Patriarchę Antiocheni ad Gregorium XIII. Pont. Max. Legato, docente, breui adſecutus eſt, vt aliquanto pòſt Neſtoriani populi Patriarcha pariter Romam veniente, nemo illo aptior repertus ſit, qui quas hic à ſuis popularibus attulerat Syriacas litteras, interpretaretur. Cumque hoc ageret Philippus II. Rex Catholicus, vt Ptolomæi Regis, qui duos & ſeptuaginta Interpretes euocauit, & Franciſci Ximenij Cardinalis Toletani exemplo, qui Compluti Biblia eruditis linguis euulgauit, eadem auctiora ad poſteros tranſmitterentur; MASIVS Antverpiam honorificè euocatus, vnà cum Bened. Aria Montano Hiſpalenſi hanc verè regiam editionem adornauit; primusque Syriacum idioma *Grammaticis Præceptionibus & Lexico* illuſtrauit. Magna illi cum Læuino Torrentio & Augerio Buſbequio familiaritas fuit, qui & illius conſilio plurimum dignitate creuiſſe ſe ingenuè profitebatur.

batur. Romæ quoque Antonio Auguſtino, Pontificiarum tum cauſſarum Iudici, pòſt Tarraconenſi Archiepiſcopo, aliiſque præſtantibus viris doctrinæ nomine innotuit. Moritur Zeueneræ, Duci Cliuenſi à Conſiliis, eidémque admodum carus VII. Idus April. anno CIↃ.IↃLXXIII. quo & Hermannus Cruſerius collega in Boruſsiaco itinere periit.

Carolus Langius.

QVAM laudem Dionyſio Lōgino Eunapius tribuit, ea CAROLO LANGIO noſtra ætate obtigit, vt ſummus æui ſui Criticus in receſendis melioris notę libris & eſſet, & haberetur. Teſtātur id pereruditæ *in M. Tullij Officia*, adiunctóſque libellos, poſt Lambinum, Emēdationes, quales & in totum Ciceronem meditabatur. Cœperat & Senecam, Solinum, ac Suetonium ſcholiis illuſtrare, multaq; in Plinio, Theophraſto, & Dioſcoride aliis non viſa obſeruarat; quæ ſiue morte præuentus, ſiue modeſtia adductus non euulgauit. Fuit enim hoc ingenio LANGIVS, vt ea ſcire vellet, quæ ſcire eum nemo ſciret; atque vt virtutem Stoici, ſic ille doctrinam pretium ſibi ipſam putare videbatur. Latebat ille ſuos inter libros, aut hortorum ſe ſpatiis ſepibuſque claudebat. Erat enim vnicus amator florum & hortorum, quos impenſo ſtudio ad extremam vſque ætatem coluit, bulbis Tuliparum, Tibcadorum,

atque id genus florum, abuſq; Byzantio petitis. Intima illi cum I. Lipſio Cl. V. familiaritas fuit; cuius iudicium quanti idem in tanta amicorum copia fecerit, argumento eſt, quòd in aureo illo de Conſtantia libro vnicum diſſerentem atque firmantem in aduerſis induxerit. Fuit enim vir omnino prudens ac perhumanus, & quo ſat ſcio radij Solis

Meliorem nullum illuxêre alterum.

Læuinus Torrentius, qui tum Brabantiæ Archidiaconum Leodici agebat, bibliothecam amici, ne Penthei in morem, vt accidere pleriſque deploramus, diſcerperetur, ſuo ære coëmit; & defunctum ad D. Lamberti, qua in æde Canonicum tenuerat ſacerdotium, condidit.

CAROLVS LANGIVS IC.

VIR VT SCRIPTA EIVS TESTANTVR
DOCTISSIMVS
CVI LAEVINVS TORRENTIVS
ET
IOANNES DOVERINVS
COLLEGAE
MONVMENTVM POSVERVNT
OBIIT CIↃ. IↃLXXIII. IV. KAL. AVGVSTI.

B. Ariæ

B. Ariæ Montani.

VLtra in te ſpectem virtutum munera, LANGI,
Doctrinam in ſtudiis, ſeu probitatem animi?
Concedis nulli: ſola hæc ſub iudice lis eſt,
An doctrina in te, vel probitas ſuperet.

Ioannes Liuineius.

ABSIT, vt extremum pietatis munus IOANNI LIVINEIO collegæ meo non perſoluam, cui propter communis vitæ ſocietatem arctè ſum deuinctus. Is Clara Læuini Torrentij ſorore natus, ab auunculo Coloniam Agrippinam adoleſcens miſſus eſt, vt Græcis litteris perinde ac Latinis imbueretur. Qua in vrbe èa rei litterariæ iecit fundamenta, vt in vtriuſque linguæ, ac præſertim Græcę cognitione paucos ſeculum noſtrum pares tulerit. Ætate maturior Louanij Michaëli Baio, ceteriſq; Theologis operam aſsiduè dedit. Quo tempore honeſto Leodici ab auunculo tum Brabantiæ Archidiacono ornatur ſacerdotio; vertitque de Græco *Nyſſenum Gregorium de Virginitate*, atque eadem ipſa de re *Ioannem Chryſoſtomum*, tametſi hunc Iulius Pogianus elegantiùs tamen quàm fideliùs, illum vero Petrus Galeſinius conuertiſſent. Sed & Græcam LXXII. Interpretum Bibliorum

verſionem cum libris calamo exaratis, vnà cum Guil. Cantero, comparauit, cum Philippi II. Regis Catholici auſpiciis ad Complutenſem editionem typis Plantinianis excuderetur. Hinc Romam, Vaticanæ excutiendæ Bibliothecæ gratia, profectus, Guil. Sirleto & Ant. Carafæ doctiſsimis Cardinalibus, eiuſdemque Bibliothecæ ex ordine Præfectis, ob ſingularem Græcarum litterarum peritiam, carus in primis fuit. Multa inde deſcribendo eruit, & veterum monumenta varia cum membranis conferendo, bonas horas in Vrbe collocauit. *Theodori* quoque *Studitæ Catecheſes* cxxxv. è Sirleti Bibliotheca, quæ nunc Aſcanij Columnæ Card. primus in lucē attulit, Latináſque à ſe factas ſcholiis illuſtrauit. Creato pòſt Torrentio Antuerpienſium Antiſtite, Canonica & Cantoria in ea Eccleſia dignitate cohoneſtatur; cuius & oculos ibidem clauſit. Apoplectico demum correptus morbo, cum auunculo ſuo annos tres & menſes octo ſuperuixiſſet, iam quinquagenarius vita deceſsit, dum *Panegyriſtas veteres* XII. eruditis à ſe Notis illuſtratos (Criticus enim acri in primis iudicio fuit) Officina Plantiniana in lucem proferret. Meditabatur hortantibus amicis, in his Andr. Schotto, de Græcis Patribus Gregorium Nyſſenum potiſsimum in apertam lucem Græcè proferre; cùm quod primus ingenij partus fuiſſet, tū quòd eum Græcè non exſtare integrum moleſtè ferret. Sed hæc & alia molientem in ipſo curriculo mors abripuit, vt aliis lampada tradidiſſe videatur.

Præter

Præter *Nyſſeni Opera*, latent apud heredes & *Ioannis Chryſoſtomi Epiſtolæ, Andronici Imp. CP. Diſputatio, Euripidis Tragœdiæ Athenæi, Dipnoſophiſtæ*, aliaque de Græcis Latina facta, & cum MSS. comparata. Conditus eſt Antuerpiæ in ampliſsima Deiparæ baſilica ad auunculi tumulum, hoc Elogio.

D. O. M.

IOANNES LIVINEIVS GANDENSIS
LIVINI TORRENTII ANTVERP. EPISCOPI
EX SORORE N.
CANONICVS ET CANTOR HVIVS ECCLES.
QVI VT GENERE ET ERVDITIONE
SIC ET TVMVLO PROXIMVS AVVNCVLO
HIC QVIESCIT
A GRAECIS PATRIBVS ILLVSTRANDIS
IN QVA LINGVA VALDE EXCELLVIT
E MEDIO CVRSV ABREPTVS
CHRISTI A. CIↃ IↃXCIX. IDIB. IAN.

DECAS IX.

Hiſtorici & Litterati.

PHILIPPVS Cominæus Flander Eques, Hiſtoricorum Princeps.

Robertus Gaguinus Duacenſis.

Hadrianus Barlandus Zelandus.

Iacobus Meyerus Balliolanus Flander.

Chriſtianus Maſſæus Flander,

E T

Georgius Macropedius Duciſsiluius.

Ioannes Vaſæus Brugenſis.

Lambertus Hortenſius Montfortius Vltraiectinus.

Augerius Giſlenus Buſbequius Flander, Legatus Cæſareus.

Suffridus Petrus Leovardienſis Friſius.

Abrahamus Ortelius Antverpianus.

Philip-

Philippus Cominæus.

PLacvit poſt Sigebertum Gemblaci in Brabantia monachum Benedictinum, quem anno cIↃ. cxII. obiiſſe comperio, annos multos Hiſtoria, rerumque noſtrarum memoria; quam PHILIPPVS COMINÆVS princeps nuper reuocauit atque illuſtrauit. Fuit is ex illuſtri apud Flandros gente Cominæa, Aurei Velleris Equeſtri ornamento ſplendeſcente, vir forma eleganti, & procera corporis dignitate. Res geſtas omnium gentium, ac præſertim Romanorum, Gallicè redditas (neque enim Latinè ſciebat) diligentiſsimè legerat, & memoria prope tenebat. Qua & in primis valuit, adeò vt, Iulij Cæſaris exemplo, quattuor ſæpe ſcribis litteras de variis grauiſsimisque Reipub. negotiis eodem tempore dictaret, tanta quidem facilitate, quaſi vnum tantùm tractaret argumentum. In aula Caroli Audacis, ſtrenui illius Belgarum Principis, annos ipſos VIII. verſatus, eidem perfamiliaris fuit. Pòſt neſcio quâ re offenſus ad illius hoſtem Ludouicum XI. Galliarum Regem tranſiit. Plurimas eius & Caroli VIII. filij nomine ad ſummos Principes legationes obijt, conſiliiſque omnibus, quæ de Repub. habebâtur, nō interfuit modò, ſed pænè ſolus (neque enim ex alienâ pru-

dentia pendebat) ſemper præfuit. Ludouico è viuis ſublato, vt liuori ac periculis exteri maxime ſolent eſſe obnoxij, multùm exercitus fuit. Augeſcere demum inuidia, res eò deducta ab aduerſariis, vt Loſcæ, quod oppidum & arx Biturigum eſt, quaſi læſæ maieſtatis reus in vincula conijceretur. Duriter admodum in eo carcere habitus fuit. Coniux interea, quam ex familia Monſorella in finibus Andegauorum, Helenam nomine, duxerat, ſatagebat vt Lutetiam duceretur. Quò cum veniſſet, aliquátò pòſt accerſitur in Senatũ. Cumque aduerſarios haberet opibus & gratia admodum potentes, ideoque nullum inueniret patronum, cauſſam ipſe ſuam in Senatu egit, & horas duas locutus, magna cum attentione omnium, ita diſſeruit, vt à Iudicibus tandem innocens mitteretur. Annos ferè tres in cuſtodia fuit. Inſequẽte anno filiã è coniuge ſuſtulit *Ioannam*, quę poſtea Renato Comiti Pentharię, è Britanniæ Aremoricę Ducũ familiâ, nuptui data. Ex hac natus *Ioannes* Philippi nepos, qui Britanniæ eidem poſtea cum imperio præfuit, & Regis Galliæ primi Ordinis Eques ampliſſimas fortunas, in his Ducatum Stampenſem, tenuit.

Moritur COMINÆVS annorum ferè LXIV. in arce ſua apud Pictonas, quam Argentonium vocant, anno CIƆ.IƆIX. XVI. Kal. Septemb. indeque Lutetiam Pariſiorum delatus, apud Auguſtinianos in Sacello, quod viuus exſtruendum curarat, conditur.

IVSTVS LIPSIVS V. Cl. cuius vnius inſtar omnium

omnium iudicium eſto, in Politicis Notis, cum quouis eum veterum Hiſtoricorum cōferre non dubitat, vt qui Polybij exemplo vtiliſsima præcepta, & ciuilia paradigmata frequēter adhibeat. Principes itaque hunc legāt ſuadet, quòd dignus ALEXANDRIS omnibus hic PHILIPPVS.

Vidit, & inuidit me Gallica bella notâſſe
CRISPVS *Romana primus in Hiſtoria:*
Si te Roma ſuo, dixit, ſermone beaſſet,
COMMINÆE *fores primus in Hiſtoria.*

Robertus Gaguinus.

ADSIT in hoc veſtibulo & ROBERTVS GAGVINVS, vt illis temporibus, *Annalium Galliæ* ſcriptor egregius. Is Duaci Flandrorum honeſtis parentibus natus, adoleſcens Ordinis SS. Trinitatis inſtitutum amplectitur. Lutetiam ſtudiorū cauſſa profectus, apud ſodales ſuos, Mathurinos vulgò vocant, perpetuò hæſit. Iuris Pontificij Doctor renuntiatus, fama viri indies, vt fit, inualeſcēte, vniuerſis Sodalibus ſuis ſupremus Præfectus datur. Cumque prudentia & rerum vſu valeret, ſæpe Regum Galliarum nomine in Italia, Germania, ac Britannia publicas legationes obijt. Ludouico XII. in primis carus, qui cum librorum ſtudio colligendorum teneretur, ingentem ei pecunię vim eo nomine appendit, Regiæq; ſuæ bibliothecæ pręfecit. Vir certè

non in hiſtoria modò, ſed in Oratoria quoque ac poëtica facultate, omniq́ue politiori litteratura egregiè verſatus. Quo nomine à Deſiderio Batauo & aliis æuo illo celebribus doctrina viris apprimè laudatur. Moritur Pariſiis anno ferè CIↃ. IↃII. apud ſuos conditus, his verſibus ſepulcro inſcriptis.

Illuſtris Gallo nituit qui ſplendor in orbe,
Hic ſua ROBERTVS *mẽbra* GAGVINVS *habet.*
Si tanto non ſæua viro Libithina pepercit,
Quid ſperent docti cetera turba chori?

Hadrianus Barlandus

HADRIANVS BARLANDVS cognomen à natali ſolo Barlandia, inſigni Zelandię pago, mutuatus, puer à parẽte Gandauum ablegatus, Petro Schoto viro doctiſsimo quadriennium operum dedit. Hic anno CIↃ.IↃ. natum, & ſacro tinctum lauacro vidit Carolum Philippi I. Auſtrij filium, qui pòſt Cæſar Aug. Quincti cognomento creatus eſt. Louanium profectus Philoſophicis ſtudiis ſe tradidit: vbi & Philippum vrbem ingredientem, dum in Hiſpaniam cogitat, libens ſpectauit; vrbis & Academiæ Senatu, totoq́ue Clero CIↃ.IↃ V obuiam procedente. Ætatis iam viceſimum ingreſſus, acceptis humaniorum artium inſignibus, ex amicorum conſilio ad docendum ſe contulit. Publicus Eloquentiæ

Profeſſor

Profeſſor à Senatu Facultatis Artium creatus, ita ſe geſsit, vt libenter auditus, ſemperq; laudatus inſignem auditorum copiam colligeret. Quo in numero fuêre *Corn. Crocus, Ger. Moringus*, ceteriq; plurimi ſcriptis clari, qui eius è ludo, tamquam ex equo Troiano, prodierunt. Vtque ad poſteros etiam manaret vtilitas, animum ad ſcribendum appulit, & Scholia ſcholis, enarrandiſque Scriptoribus vtilia reliquit plurima. Pòſt ætate prouectior, & ſtilo formato, terſa Latinæ linguæ dictione hiſtoriæ, præſertum patrię, ſcribendæ cupidus, præter *Chronologiam* ab Orbe condito ad annum vſque ſui ſeculi XXXII. *Brabantiæ Ducum, Hollandiæque Comitum, & Vltraiectinenſium Præſulum res geſtas* conſcripſit. Sed & *litteratos vrbis Romæ Imperatores, & Venetorum Duces*, poſt Ant. Sabellicum, cuius lectione impenſiùs delectatus, æmulum ſe præbuit, litteris conſignauit. Floruit autem ad annum vſque, opinor, ſecundum & quadrageſimum, Martini Dorpij & æqualium eruditorum hominum amicitia clarus, vir de humanitatis ſtudiis, vt illa tempora ferebant, bene meritus.

Beyerlinchl.

BARLANDVS *reducē, Batauis, Ducibusq; Brabantiæ*
Vitam dedit poſt funera.
Verùm aliis reducem dando poſt funera vitam,
Superſtes æternam ſibi
Et vitam dedit, & claram poſt funera famam,
Vtrâque ſub Solis domo.

Iaco-

non in hiſtoria modò, ſed in Oratoria quoque ac poëtica facultate, omniq́ue politiori litteratura egregiè verſatus. Quo nomine à Deſiderio Batauo & aliis æuo illo celebribus doctrina viris apprimè laudatur. Moritur Pariſiis anno ferè CIↃ.IↃII. apud ſuos conditus, his verſibus ſepulcro inſcriptis.

Illuſtris Gallo nituit qui ſplendor in orbe,
Hic ſua ROBERTVS *mēbra* GAGVINVS *habet.*
Si tanto non ſaua viro Libithina pepercit,
Quid ſperent docti cetera turba chori?

Hadrianus Barlandus

HADRIANVS BARLANDVS cognomen à natali ſolo Barlandia, inſigni Zelandię pago, mutuatus, puer à parēte Gandauum ablegatus, Petro Schoto viro doctiſsimo quadriennium operum dedit. Hic anno CIↃ.IↃ. natum, & ſacro tinctum lauacro vidit Carolum Philippi I. Auſtrij filium, qui pòſt Cæſar Aug. Quincti cognomento creatus eſt. Louanium profectus Philoſophicis ſtudiis ſe tradidit: vbi & Philippum vrbem ingredientem, dum in Hiſpaniam cogitat, libens ſpectauit; vrbis & Academiæ Senatu, totoq́ue Clero CIↃ.IↃ V obuiam procedente. Ætatis iam viceſimum ingreſſus, acceptis humaniorum artium inſignibus, ex amicorum conſilio ad docendum ſe contulit. Publicus Eloquentiæ Profeſſor

Profeſſor à Senatu Facultatis Artium creatus, ita ſe geſsit, vt libenter auditus, ſemperq; laudatus inſignem auditorum copiam colligeret. Quo in numero fuêre *Corn. Crocus, Ger. Moringus*, ceteriq; plurimi ſcriptis clari, qui eius è ludo, tamquam ex equo Troiano, prodierunt. Vtque ad poſteros etiam manaret vtilitas, animum ad ſcribendum appulit, & Scholia ſcholis, enarrandiſque Scriptoribus vtilia reliquit plurima. Pòſt ætate prouectior, & ſtilo formato, terſa Latinæ linguæ dictione hiſtoriæ, præſertum patrię, ſcribendæ cupidus, præter *Chronologiam* ab Orbe condito ad annum vſque ſui ſeculi XXXII. *Brabantiæ Ducum, Hollandiæque Comitum, & Vltraiectinenſium Præſulum res geſtas* conſcripſit. Sed & *litteratos vrbis Romæ Imperatores, & Venetorum Duces*, poſt Ant. Sabellicum, cuius lectione impenſiùs delectatus, æmulum ſe præbuit, litteris conſignauit. Floruit autem ad annum vſque, opinor, ſecundum & quadrageſimum, Martini Dorpij & æqualium eruditorum hominum amicitia clarus, vir de humanitatis ſtudiis, vt illa tempora ferebant, bene meritus.

Beyerlinchl.

BARLANDVS *reducē, Batauis, Ducibusq; Brabantiæ*
Vitam dedit poſt funera.
Verùm aliis reducem dando poſt funera vitam,
Superſtes æternam ſibi
Et vitam dedit, & claram poſt funera famam,
Vtrâque ſub Solis domo.

Iaco-

Iacobus Meyerus.

QVIS Flandriæ, toto terrarum Orbe multis nominibus notiſsimæ prouinciæ, Hiſtoricum MEYERVM prætereat? Is Vleternis Balliolano in agro ad occiduam Flandriæ plagã XVI. Kal. Febr. CIↃ.CCCCXCI. natus, primus ferè, aut optimè certè gentis ſuæ hiſtoriam pertractauit; collectis primùm vndique veterum monumentis, cùm ſoluta, tum numeris vincta oratione conſcriptis. Nam & *Philippeidos* libros, de bello Philippi Galliæ Regis cum Otthone Imp. Britannis, Flandriſque geſto, eruit: atque à poëtica minimè abhorrens, pia quædam à ſe conſcripta edidit, & veterum *Eccleſiaſticos Hymnos* reddidit meliores. Blancobergæ (quod municipium eſt ſtatione maritima & piſcatione copioſa nobile, pari ferè inter Oſtendam Sluſamque ad Oceanum interuallo) ad extremam vſque ætatem, animarum Parochus curam geſsit. Moritur Brugis Flandrorum, vbi ludum multos annos iunior aperuerat, ſexagenario maior, Non. Febr. anno ſupra ſeſquimilleſimum quinquageſimo ſecundo, (fallitur enim Bodinus, aliique qui eum Cominæi æqualem faciunt) conditus in primaria Æde S. Donatiano ſacra, hac inſcriptione.

Balliolum

B Alliolum genuit, docuit Lutetia, humauit
Donatianus MEYERVM
Hiſtoricum. Vixit cælebs, Chriſtiq́ue Sacerdos;
Profeſſus idem litteras,
Brugenſem inſtituit pubem, dein Curio ceßit
In fata Blancobergius.

ANTONIVM Henrici fratris filiũ, qui Cameraci primùm, pòſt Atrebati iuuentutem inſtituit, heredem ſcripſit & facultatum & bibliothecæ, quam inſignem multo ære & labore collegerat. Is patrui *Annales*, ab eodem auctos & recognitos, foras dedit, & *Flandriæ Comites* verſibus decantauit, *Niliq́ue* Epiſcopi ac Martyris *Gnomas* Latino carmine reddidit. Huius filius PHILIPPVS apud Atrebates ſupereſt, à quo & annorum inſequentium hiſtoriam auidè exſpectamus.

Aulæi.

V T rediiſſe ſibi ſenſit ſua lumina, grates
Terra tuo retulit MEYERE *Flandra ſtilo:*
Quiq́ue meus vates, & laudum præco fuiſti,
Mecum, ait, æterna luce beatus eris.

Chri-

Chriſtianus Maſſæus, ET Georgius Macropedius.

PATRVM memoria Fratrum in commune viuentium Ordo, à *Gerardo Magno* Dauentrienſi, ſub patrocinio SS. Hieronymi & Gregorij, inſtitutus, illuſtrium virorum, qui iuuentutem optimis & moribus & litteris imbuebant, copiâ, in Germania Belgicisque prouinciis mirificè floruit. Quo in numero fuêre GABRIEL BIEL celebris apud Tubingenſes Theologiæ Profeſſor, GERARDVS ZVPTHANIVS ſcriptor Aſceticus, CHRISTIANVS MASSÆVS, GEORGIVS MACROPEDIVS, aliique innumerabiles.

MASSÆVS VVaſtenæ opulento in municipio ad Liſam fl. apud Flãdros natus, pro inſtituti ſui ratione, iuuentutẽ Gãdaui primũ, pòſt Cameraci (vnde & Cameracenatis cognomentũ ſumpſit) inſtituit. In quo mirum adeò illud fuit, virũ occupatiſsimum atque aſsiduis ludi curis implicatum, tantum otij decidere potuiſſe, vt præter *Grammaticas Præceptiones*, *Chronicorum Libros XX.* ab Orbe condito ad annum vſque ſui ſeculi decimi quinti quadrageſimum, *Kalendariis AEgyptio, Hebraico, Macedonico & Romano* præmiſsis, commentaretur. Quæ *de Pſalmorum Titulis* à Ioan. Trithemio (quo cum de ſtudiis per litteras ſæpe communicabat) eximiè laudata conſcripſit, an lucem aliquando viderint, ignoro.

MA-

MACROPEDIVS, raræ felicilatis Poëta, plurima cùm ſacra tũ profana argumẽta Comico ſtylo exornauit: exactæ inſuper diligentiæ Grammaticus, *vtriuſque linguæ Rudimenta, & Dialectica* non memoria modo, ſed & litterarum monumentis complexus eſt. Scholæ itaque Vltraiectinæ id temporis per Belgium celeberrimæ Gymnaſiarcha datus, hoc conſecutus eſt, vt nemo erudiendæ iuuentuti magis idoneus, nemo plures bonæ frugis diſcipulos ſuo è ludo emiſiſſe videretur. Demum moleſtiarum per ætatem impatiens, Siluamducis patrium in Brabantia oppidum repetiit: vbi podagra corpus aggrauante, peſtilentique febre accedente CIↃ. IↃLVIII. exſtinguitur. Conditus eſt in Æde ſacra ſuorum ſodalium, hoc Elogio ab amico Corn. Valerio, Louanij Eloquentiæ Doctore, addito.

CAElo potitus poſt labores plurimos
GEORGIVS MACROPEDIVS,
Scholaſtici moderator optimus gregis,
Toto orbe nobilis ſenex,
Corpus reliquit hoc podagricum loco,
Longo labore exercitum.
Humanitas, ſtudium iuuandi maximum,
Benignitas amabilis,
Candor animi, pietas & eruditio
Hunc reddidêre calitem.

IVLIVS æſtIVo CoLLVſtrans nVbILa Phœbo,
MaCropedI eXſtInCtos VeXIt ad aſtra dIes.

Ioan-

Ioannes Vaſæus.

IOannes Vasævs litteris adoleſcens bene inſtructus, luſtrādę Hiſpaniæ ſtudio captus, hortante L. Andr. Reſendio Luſitano, qui tum Louanij agebat, vnà cum Nic. Clenardo in Luſitaniam primùm venit. Oliſsiponæ in Iſabellæ Auguſtę Proregis Indiarum aulâ, tres ipſos annos, negotia publica cum laude tractauit. Inde Salmanticam euocatus, Rhetor Gymnaſij publicus, ſuperatis competitoribus, magno applauſu renuntiatur. Hic in familiaritatē ſe dedit magni illius Didaci Couarruuiæ, & Martini ab Azpilcueta Nauarri I C. torū, & Franc. Victorię, Theologi è familia Dominicana præſtantiſsimi. Ducta ibidem vxore, animum ad ſcribendam hiſtoriā appulit, & ne bis peregrinus eſſet, primus ferè ac ſolus ea tēpeſtate Latinis litteris res Hiſpanorum geſtas, Reſendio adiutante, mandauit; cōſcripto *Chronico*, quo alij, qui pòſt Hiſpanè ſcripſerunt, Ambroſius Moralis Cordubēſis, & Stephanus Garibaius Cantaber, plurimùm adiutos ſe eſſe ingenuè confitentur. Obſeruarunt enim curioſi, exteros ferè accuratiùs, quàm incolas, gētis cuiuſque mores, ritus, antiquitatem & obſeruaſſe & litteris mandaſſe. Nō longè abiero. Græci Dionyſius Halicarnaſſeus, Plutarchus Chęroneus, Dio Caſsius, & Herodianus copioſiùs, quā Latini Liuius & Paterculus, ceteríque in ſuo quiſque

quiſque genere res Romanas pertractarūt. Quid? Orbis terrarum ſitum nonne diſertiùs Strabo, Ptolomæus, & Dionyſius Afer carmine, quā Latinè alij, Mela, Plinius & Solinus deſcripſerunt?

VASÆVS pòſt in Luſitaniā ab Henrico Cardinale Ioannis Regis fratre, qui extrema ſenectute & ſceptrum tenuit, reuocatus, florem iuuentutis optimis moribus ac litteris erudiuit. Senex demum, aulicæque vitæ pertæſus, in bibliothecam ſe abdere cùm vellet, filio natu maximo apud Cardinalem relicto, Salmanticam, Academico Senatu inuitante, & ambabus, quod aiunt, vlnis excipiente, reuertit; ibidemque obiit circa annum, opinor, CIↃ.IↃLX.

Aulæi.

HIc facit, vt priſci niteant monumenta decoris,
Quidquid & Hiſpano floruit orbe priùs.
Quæq́; Gothus, Suevúſq́; ferox, quæ Vandalus erro
Abſtulerant, docto reſtituit calamo.

Lambertus Hortenſius.

LAMBERTVM HORTENSIVM A. CIↃ.IↃI. genuit Montfortium ditionis Vltraiectinæ oppidum, puerum aluit vrbs ipſa Vltraiectina, adoleſcentem, communi cum Ioanne Guinterio Andernaco vtentem hoſpitio, bonis litteris Aca-

 demiæ

demia Louanienſis imbuit, eumdemq́ue mox Græca Latinaque facundia excellentem eſt admirata. Nam iunior *Ariſtophanis Plutum* Latino à ſe carmine redditum ſcholiis explanauit, & poſt Seruium in Virgilij Æneida, & Lucani Pharſalica amplos & elegantes *Commentarios* concinnauit. Ætate ac iudicio maturior *Bellum Germanicum*, & *Seceßiones ciuiles Vltraiectinas*, dominiiq́ue ad Auſtriacos tranſlati hiſtoriam puro & nitido ſermone contexuit. Nardenæ apud Batauos ſcholæ multos annos Gymnaſiarcha præfuit, retulitq́ue fructum pietatis iuuentuti impenſæ, in vrbis eius clade anni CIↃ. IↃLXXII. cum à Veldamio nobili adoleſcente grato diſcipulo furori militari ereptus eſt.

Obiit in prædio ibidem ſuburbano, ſenio laboribusq́ue confectus CIↃ. IↃLXXVII. ad cuius imaginem hos verſiculos ingenioſè luſit B. Arias Montanus.

HVius vbi HORTENSI *ſpectas in imagine vultum,*
Talia tum ſubeat dicere verba tibi:
Romane HORTENSI *concede huic; ſecula priſcis*
Nomine req; pares noſtra tulêre viros.

Auge-

Augerius Giſlenus Buſbequius.

QVod paucis admodum vſu veniſſe cõperi, vt in tractandis Reipub. negotiis ad magnum doctrinæ nomen peruenerint; id BVSBEQVIVM aſſecutũ, cuius omnis vita publicis legationibus obeundis diſtricta fuit, magnam profectò habet præcellentis ingenij admirationem. Is nobili & peruetuſto BVSBEQVIORVM apud Flãdros genere natus Cominij (vnde & *Philippo* Hiſtoricorũ noſtratium Principi nomẽ,) adoleſcens Venetiis Ioanni Bapt. Egnatio, pòſt Bononiæ & Patauij aliis doctis hominibus in Eloquẽtię ſtudiis operã dedit. Ætate grãdior à Ferdinãdo Aug. operà N. Vanderani Belgæ, qui tũ illi à Secretis, Viennam Auſtriã euocatus, illi & Maximiliano filio in republica gerẽda ita ſe probauit, vt nullius ferè magis conſilio & virtute Cæſares niterentur. Huius etiã Auguſtos liberos ***Matthiã, Maximilianũ, Albertum & VVenceſlaum*** optimis moribus informauit. Cumq; in omni adminiſtrationis genere excelleret, tũ verò in legationibus enituit, quibus cõpluribus magna cũ gloria ad ſummos Principes aſsiduè functus eſt; quarum illæ in primis inſignes fuêre ***Conſtantinopolitana & Amaſiana,*** quas etiã litterarum monumentis eleganti ſtilo mandauit, & Nic. Micaultio V. Cl. amico veteri, & ſtudiorũ multos annos in Italia ſocio inſcribẽdas curauit. Nec otioſa illa profectio. Nã & animantiũ Oriẽtis naturas, vetereſq; Inſcriptiones, vt *Ancyranam*,

 quam

quam cum Andr. Schotto, & herbarum naturas, quas cum P. Andr. Matthiolo communicauit, inueſtigando cognouit. Quin & centum amplius antiqua, cùm Græca, tum Latina, in membranis calamo exarata volumina, media in Græcia ſtudioſè collecta, in Cæſaream Viennæ Auſtriæ Bibliothecam intulit. Rei etiã bellicę cognitionem vſu atque obſeruatione adeptus, ſalubre *Turrici belli Conſilium* poſteritati tranſcripſit. Bizantio reuerſus Iſabellam Auſtriam, quę Carolo IX. verè Chriſtianiſsimo Regi nuptui data, in Galliam duxit, eiuſque aulæ Præfectus, & pòſt Rudolphi Cæſaris Legatus fuit. A quo cum iam ſeptuagenarius ſemeſtre ſpatium, vt patriã, amicos, auitumque heredium inuiſeret, impetraſſet, per Normanniam bellis ciuilibus impeditam, Belgium verſus iter inſtituit. Dumque in vico Callia hoſpitatur, violenta militum manus, ex arce vicina nocte intempeſta hoſpitium irrumpens, ſenem rapit, & equo impoſitũ abducit. Ille quiritare vim ſibi fieri, prædam contra ius gentium de Legato agi; non Præfecti Rothomagenſis iuſſu (vt prędones iactabant,) ſed rapinę cauſſa ſcrinia ſua auferri. Qua animi magnitudine territi, ſcriniis tabuliſque illæſis, eum diluculo in integrum reſtituunt, maleque conſcij diffugiunt. Conſolatur per litreras Præfectus, ſeque crimen vlturum promittit. At ille, quietem ſe magis animi, quàm iniuriæ vindictam poſtulare, vt erat generoſus, reſpondet. Iam tum enim letalem ægritudinem præſagiens, in vicinas ædes matronæ lectiſsimæ Toparchæ Maillocenſis ad Fanum

num

num D. Germani deferri ſe iubet; vbi vndeviceſimo pòſt die vita deceſsit CIↃ. IↃXCII. V. Kal. Nouembr. magno ſui bonis doctisque omnibus, quos fouerat, relicto deſiderio. Corpus in Æde ſacra eius loci honorificè conditum; cor in patriam relatum, illatumque in monumentum maiorum.

In AugerI BuſbequI triſtem mortem & ſitum.

AVGERIVS *iſtic eſt ſitus* BVSBEQVIVS.
Quis ille? Quem virtutis & prudentiæ,
Habuêre carum, gratiâ, ipſi Cæſares;
Hunc aula eorum vidit, aula & extera
Aſiæ Tyranni. Quæ viri felicitas?
Probauit hac, & illa. in omni tempore
In munere omni Neſtorem ſe præbuit
Linguâ atque mente. Iam quies eum ſibi,
Et patria hæc ſpondebat: ecce ſuſtulit
Viam per ipſam miles, incertum an latro.
Sed ſuſtulit, ſimúlque ſidus Belgicæ,
Quod nunc choreas fulget inter aſtricas.

I. Lipſius magno amico exiguum monumentum P.

Suffridus Petrus.

AT verò quo potiſsimũ nomine SVFFRIDVM non vulgare æui noſtri decus commẽdem? Fuit enim illi variũ fecundumque ingenium, quod nullis incluſum ſpatiis per omnes ferè diſciplinas liberiùs euagaretur. Leouardiæ apud Friſios CIↃ.IↃ XXVII. Iunio menſe natus, dum Louanij in ſtudiis verſatur, iuuenis Erphordiã Turingorum inſtaurandæ Academiæ iam collapſæ, & ab Eobano Heſſo inquinatę euocatur. Hic linguæ vtriuſque Doctoris perſonam annos aliquot ſuſtinuit, & *de Græcarum litterarum laudibus Orationes quinque* conſcripſit. Domum reuerſus à Viglio Zuichemo Præſide Ant. Perenotto Cardinali commendatus, à Bibliotheca illi fuit. Aulici pertæſus otij, ducta vxore Louanium reuertit, & Iurecõſultus vna cum Franc. Schotto, Andreæ fratre renunciatus, *Orationem de Rom. legum præſtantia* edidit. Theodorico Langio in Collegio Trilingui Buſlidiano feſſa ætate ac morbo languente, vicariam illi operam in Gręcis auctoribus exponendis nauauit, vertitque *Plutarchi* varia, vt *De liberis educandis*, additis ſcholijs, vt *de Iſide & Oſiride*. *Athenagoræ* item pro Chriſtianis ad Aurelium Imp. *Legationem* de Græco Latinam à ſe factam, docto ac laborioſo *Commentario* explicauit. Eccleſiaſticæ veteris Hiſtoriæ Scriptores *Euſebium, Sozomenum*, alióſque ad Græcos fontes reuocando

cando, Io. Chriſtophorſoni verſionem *Notis* illuſtrauit. Gliſcentibus iam magis magiſq; Belgicis tumultibus, vt erat tranquillitatis amans, Coloniam Vbiorum ſeceſsit. Hic *M. Tullium* ad veterum codicum fidem excutiens, *Officia* cum adiunctis edere, & caſtigationibus poſt Car. Langium meliora reddere cœpit. Vxorem vbi extulit, ſacris initiatus ad XII. Apoſtolos Canonicus fuit. A Friſiæ Ordinibus Hiſtoricus appellatus, ſtipendioq; annuo ornatus, *Originem Colonias, Nobilitatem, Libertatem ac Scriptores Friſiæ* litteris mandauit. Gratus, dum vixit, non priuatis modò viris exſtitit, ſed & Pontificibus Gregorio XIII. ac Sixto V. & Cardinalibus Palæotto, Carafæ, Santorio, & Principibus variis, quibus placuiſſe laus eſt, vt ait ille, nō infima: qui & ad illū litteras frequenter dabant. Moritur Coloniæ ferè ſeptuagenarius aqua inter cutem ſedente, menſe Februario CIↃ.IↃ XCVII. qui annus Epidemica lue multa ciuium millia abſumpſit. Populari ſuo Vibrandus Auſkema I C. pietatis & amicitiæ ergô hoc Cenotaphium poſuit.

SVFFRIDI hic cineres poſiti, quem iactat alumnum
Friſia, quo fido gaudet & Hiſtorico.
Cetera quæ ſapiens virtus, & caſta dedêre
Numina, iam cæli purior Orbis habet.
Inuidit quippe immerito noua ſidera mundo,
Maluit & ſuperis illa videre locis.

Gauconis Friſij.

SCriptores referant alij primordia gentis,
Siue tuæ Latium, Græcia ſiue tuæ.
Nil Italis, nihil eſt doctis quòd Friſia Graijs
Inuideas, PETRVM, *qui tua pandat, habes.*
Antiquum decus ille tuum, monumenta tuorum,
Marte vel ingenio qui viguêre, refert.
Sic tibi grande venit, SVFFRIDO *vindice, nomen;*
Ipſum honor, & patriæ ſcilicet vrget amor.
O felix! eſt cui patriæ iuſtiſſima clari
Cauſſa laboris amor, fructus amoris, honor.

Abrahamus Ortelius.

NON eſt quòd in celebrando ORTELIO deſudem, quem ipſe terrarum Orbis ab illo illuſtratus prædicat. Is ſerò ad ſtudia conuerſus, breui litteras ac linguas per ſe didicit. Nec priuato contentus ſtudio, Europæum pęne Orbem oculis luſtrauit. Ad ſuos vbi reuertit, in vrbe patria Antuerpia Orbis ocello Orbis terrarum ſitum, tãquam in erudito puluere, deſcribere cœpit; paullatimque eò progreſſus eſt, vt in immenſum labor excreuerit, & tamquam publico in theatro *Theatrum Orbis* ſpectandum dederit. Id Regi Catholico Philippo II. oblatum, vſque eò gra-

eò gratum fuit, vt & honorem auctori habuerit, & Regij Geographi titulo decorârit. At quia, vt Domitius aiebat, animus inquies opere paſcitur, dum quam nactus erat, Spartam exornat; & apis inſtar per omne ſcriptorum genus volitat, eruit *Theſaurum* (ſic enim verò nomine indigetat) *Geographicum*, qui & ipſe in immenſum è Synomia Geographica veteri & noua excreuit. Antiquitatis in primis & amans & peritus, Romanorum numiſmata aurea, argentea, ærea plurima colligens, *Deorum Dearumq; Icones* inde delineauit. Exotica quoque, ac peregrini Orbis miracula, ab ipſis vſque Antipodibus allata, domi adſeruans, ab Auſtriacis Principibus ERNESTO atque ALBERTO, vt à Cn. Pompeio Poſidonius Philoſophus Stoicus, idemtidem viſebatur. Omitto ceteros Nobiles atque eruditos viros, qui hiſce ſpectaculis mirificè capiebantur. Vir ſanè induſtrius & felix, vt qui (quod paucis vſu venit) ſtudiis rem mirè auxerit familiarem; cùm liberali tamen eſſet in amicos, deque ſe bene meritos ingenio. Symboli loco illud de Mundo vſurpare ſolitus, *Contemno, & orno, mente, manu.* Vixit ad ſummam ætatem cęlebs & frugalis, dum fatiſcente natura ſtudiiſque exhauſta tabeſceret. Conditus eſt in Æde ſacra S. Michaëlis Præmonſtratenſium Abbatiæ, vbi ab amico I. Lipſio V. Cl. hoc illi, officij gratia, poſitum Elogium viſitur.

ABRAHAMI ORTELII

QVEM VRBS VRBIVM ANTVERPIA EDIDIT
REX REGVM PHILIP. GEOGRAPHVM HABVIT
MONVMENTVM HIC VIDES
BREVIS TERRA EVM CAPIT
QVI IPSE ORBEM TERRARVM CEPIT
STILO ET TABVLIS ILLVSTRAVIT
SED MENTE CONTEMPSIT
QVA CAELVM ET ALTA SVSPEXIT
CONSTANS ADVERSVM SPES AVT METVS
AMICITIAE CVLTOR CANDORE FIDE OFFICIIS
QVIETIS CVLTOR SINE LITE VXORE PROLE
VITAM HABVIT QVALE ALIVS VOTVM
VT NVNC QVOQ. AETERNA EI QVIES SIT
VOTIS FAVE LECTOR

OBIIT IIII. KAL. IVLII CIↃ. IↃXCIIX.
VIXIT ANN. LXXI. MENS. II. DIES IIXX.
COLII EX SORORE NEPOTES B. M. POSS.

In Sarcophago.

PIAE MEMORIAE.

ABRAHAMO ORTELIO ANTVERP.
GEOGRAPHO REGIO
FRATRI CARISSIMO
ANNA ORTELIA
CAELEBS CAELEBI M. F. C.
CIↃ. IↃXCVIII.
HAEC META LABORIS.

Defun-

Defunćto Poëtæ certatim omnes parentarunt, quorum Lacrymas amicus noſter Franciſcus Swertius F. collegit & publicauit. Nicolaus etiam Oudartus Eccleſiaſtico Prætorio Machliniæ Præfectus è terris abeuntẽ ſic proſecutus eſt.

PEr quos ſe populos extendat Dædala tellus,
Quos habeat fluuios, quæ iuga, quoſq́ſ ſinus:
Quæ pater Oceanus ſpacioſa volumina voluat,
Quo foueat terram gurgite, quóve premat:
Deniq́ quidquid adhuc penetrabile in hoc & in iſto,
Præ cunctis viuis viderat ORTELIVS.
Viderat, & radio quoq́ non fallente notârat;
Nec tamen hoc ipſum crędidit eſſe ſatis.
Quo magis exactè ſatagat, conſcendit Olympum,
Scilicet inde ratus conſpicuum omne fore.
Verum ibi vt eſt, manum ei Deus iniicit, atq́ ait: vndis,
Sátque datum terris; nunc age ſcribe polos.

Nic. Rhedingeri Vratiſl.

INuentum nuper ſe iactat Iberus ob orbem:
Ad radium, ORTELI, *ſed nihil iſta tuum.*
Namque vnâ ſocias veteremq́ nouumq́ tabellâ,
Et nouus ingenio eſt Orbis vterque tuo.
Ergo orbis matrem, ſi te, Natura, vocamus;
Orbis te, ORTELI, *quis neget eſſe patrem?*

DE-

DECAS X.

POETÆ.

ANTONIVS Houæus Egmundanus Batavus, Abbas Epternacéſ.

Cornelius Muſius Delphius Martyr.

Ioannes Murmellius Rurimundenſis.

Ioannes Secundus Hag.
Nicolaus Grudius,
Hadrianus Marius.
} *Fratres germani.*

Ioannes Latomus Bergizomius Brab. Canonicus Auguſtinianus.

Lucas Fruterius Brugenſis.

Victor Giſelinus Sanfordanus Flander, Medicus.

Iacobus Latomus Iunior Cambronenſis Hanno.

Andreas Papius Gandenſis.

Dominicus Lampſonius Brugenſis.

Anto-

Antonius Houæus.

QVos Plato, eumq́ue M. Tullius ſecutus, Repub. ſua Poëtas exegerunt, eoſdem Chriſtiani partim profligârunt, vt impuros, partim receperunt, vt caſtos ſacrosq́; Vates. Quo in numero parentum memoria ANTONIVS HOVÆVS exſtitit, qui vt Ouidiano ſtilo rem corrigeret, ad Viglium Præſidem *De arte amandi Deum* carmine luſit non infeliciter. Idemq́ue ſeculi noſtri calamitatem Dialogo, quem *Zuermũdanum* inſcripſit, ſoluta numeris oratione deplorauit. Ipſe Egmũdæ in patria Benedictinę familię adſcriptus, virtutis doctrinæq́ue nomine Abbas Epternacenſis in ditione Luciburgenſi creatur: cui familiæ annos complures laudabiliter præfuit, ſibiq́ue hoc Cenotaphium luſit.

HIc iacet ætherei præceptor amoris HOVÆVS,
Exſpectátque ſui Iudicis ora DEI.
Vrna ferat flores, & vernent omnia circum,
Corpus humi recubet, mens colat alta polos.

Cornelius Muſius.

VNA ſcilicet Poëtices laurea capiti non ſufficiebat tuo, MVSI Muſarum cultor egregie. Acceſsit & martyrij altera, vt duplici titulo triumphares laureatus. Sacris Virginibus ad D. Agatham in patria prçfectus, animo ſoluto & vacuo,

inter blanda Muſarum otia vitam placidiſsimè tranſigebas:& qua ingenij eras felicitate nunc *B. Agathæ* Siculæ Virginis aliorumq; Diuorum laudes pangebas; nunc *Solitudinis*, cuius eras amantiſsimus, *Encomium* decantabas. Florebas interea & doctorum hominum amicitia, qui poëtica illa tua vbertate mirificè capiebantur,& velut Chriſtianum Apollinem Delphis Batauorum omine quodam natum,ſuſpiciebant. Inuidit hanc iucūdiſsimam tibi quietem Lumæus homo inſanus, qui te Caluinianorum militum quos ductabat, ferociam fugientem Lugdunum Batauorum abduxit; abductumq; nocte intēpeſta, naſo & auribus truncatis,manuum pedumq; digitis, & iis, quæ naturæ honeſtas abdidit, præciſis, immanitate plùs quàm barbara,duos & ſeptuaginta annos natum CIↃ.IↃLXXII.trabi in foro affixit, ac laqueo ſtrangulauit. Glorioſo quidem tu martyrio ad vitam meliorē tranſiiſti, quāquam magno omnium mœrore ac luctu; ſed Lumæus meritas dans pœnas,canino pòſt morſu periit, vt qui humana manu occūberet, indignus. Hic nimirum impiorum atque immanium exitus ſemper fuit, puta Ieſabellę,Luciani,Donatiſtarum,ſimiliumque, vt canes potiùs aut coruos paſcerent, quàm communi mortalium ſorte exſtinguerētur. Scitum illud Satyrici, *Ad generum Cereris*——

Erat MVSIVS homo comis in primis, cuius domus hoſpitibus, litteratis præſertim hominibus,ſemper pateret. Adoleſcens Louanij Caſtrēſi in Gymnaſio Philoſophiam Ariſtoteleā hauſit; mox,vt naturæ ſuæ ſemina quiſque ſequitur,cum

Muſis

Muſis in gratiã rediens, Conr. Gocleniũ Latinas, Rutg. Reſciũ Grȩcas litteras in Collegio Trilingui profitẽtes audiuit. Variis demũ inſtructus diſciplinis, Gandauũ ad iuuentutẽ inſtituendã euocatur. Cumq; gratioſus eſſet apud Carolũ Coquinium Abbatẽ Aquicinctenſem in agro Duaceno, Lutetiã primùm, mox in Pictonas cũ nobilibus aliquot adoleſcentibus ab eodem mittitur. Hîc bienniũ egit, & cũ Salmonio Macrino Gallo, Ioãne Secũdo Batauo, Iuliano Havretio Hãnonio, Ioachimo Polite Zelãdo Poëtis clariſsimis amiciſsimè viuens, cœpit ingenij ſui fetus typis Marneffiis euulgare. In patriã reuerſus, ſacris. D. Agathæ Virginibus annos ferè xxxv. magna per vniuerſam Bataviã innocentiæ ſanctitatisque fama præfuit; ſolitus ſȩpe Deũ venerans precari, vt deploratiſsimis hiſce tẽporibus ſanguinẽ ipſi condonare, à quo vitã accepiſſet, mereretur. Teſtis in cognominẽ ſibi D. Corn. hymnus ſæpe decantatus.

Beate Chriſti Pontifex,
Chriſtiq; Martyr inclyte,
Hanc gratiam Cornelio
Tuo benignus impetra:
Vt exprimo quem nomine
Te caritate, te fide,
Et aſſerenda audaciã
Te veritatis exprimam.

Io. Bochij.

Nec tua te pietas, nec Apollinis infula texit
Muſarum, MVSI, *decus; ingeniiq; per omnem*
Immortalis honos celebrem te reddidit orbem.
Nunc maior laus orta tibi, manet altera cælo
Laurea, quam feritas, Batauæq; iniuria gentis,
Et multo peperit ſudatum vulnere letum.

Ioan-

Ioannes Murmellius.

PRæcox illud ingeniorũ genus, vt magnus ille Cenſor M. Fabius iudicauit, aut citò emori, aut ſi vitale ſit, ad frugẽ degenerãdo haud facile peruenire, re ipſa vel in IOANNE MVRMELLIO comperimus. Immaturum enim fatum ſurgenti doctiſsimi hominis famæ quaſi ſecurim iniecit, & felicem eius gloriæ curſum interrupit. Natus Rurimundæ, quæ Geldrorum inſignis vrbs eſt ad Moſæ ac Ruræ fluminum confluentem, primùm militiæ nomen dedit; pòſt à turbulentis Bellonæ caſtris, ad blanda quietáq; Muſarũ otia couuerſus, Alexandrũ Hegium, cui & Deſ. Eraſmus, & Hermannus Buſchius operam dederunt, Dauentriæ audiuit. Coloniæ in Vbiis artium liberalium Magiſter renuntiatus; Alcmariæ apud Batauos, Dauentriæ apud Tranſiſalanos Monaſterij apud VVeſtphalos, & alibi, magno iuuentutis commodo, ludum aperuit; atque inter piſtrini labores multa pro ætate commentatus eſt. Omitto *Gramaticas Præceptiones*, quas typo ac tabulis tradidit; *Epigrammata* item varia, quæ luſit feliciſsimè. In obſcura certè *Perſij AEnigmata* acutè admodum ſcripſit, ac *Boëthij* elegãs illud atque eruditum Satyricon de Philoſophiæ cõſolatione *Commentario*, multò quam Thomas Anglicus felicius illuſtrauit. Viuere deſiit Monaſterij CIƆ.IƆXIII. relicto filio, quem inſtituere cœperat,

Græcè

Græcè Latineque erudito. De fati genere ambigitur. Creditum enim ab ęmulis, quòd ante diem obiiſſet, toxico è medio ſublatum; ſed qui artis medicæ periti morienti adfuêre, peripneumonia exſtinctum adfirmabant.

Ioannes Secundus & Fratres.

IACTATVM antiquitùs magnorū degenerare liberos; vt M. Tullij filius ſatis arguit. At illud non vſquequaque verum eſſe IOANNES SECVNDVS, NICOLAVS GRVDIVS, & HADRIANVS MARIVS, Nic. Euerardi Præſidis liberi, reipſa oſtenderunt. Quippè qui, mira quadam animorum cōſenſione, Iuriſprudentiā cum Poëtica iungentes, non modò in curia atque in foro, ſed in litteris etiā ac libris, rei prodeſſe publicæ ſtuduerunt. Fidem faciunt Samoſatenſis Sophiſtę *Dialogi*, venuſtè ac lepidè, collatitia velut ſtipe, à tribus germanis fratribus Latinis verſibus redditi. IOANNES quidem Hagæ Comitis apud Batauos natus, non ſine omine SECVNDI nomen induit, vt cui ſecundum non facilè reperias. Nam ea ætate, qua vix Latinè loquuntur alij, in re poëtica vſque eò ceteris omnibus antecelluit, vt in aurem Batauam intempeſtiuum Martialis iocū facilè eluſerit. Adoleſcens in Galliam profectus Andr. Alciatum Mediolanenſem de ſuperiore loco ius interpretantem Biturigis audiuit; ibidemque Macrino Salmonio Gallo, &

Corn. Muſio Batauo familiariter vſus, poëtica inter ſe ſtudia exercuerũt. Pòſt in Italiam tranſgreſſus, indeque in Hiſpaniam traiiciens, Archiepiſcopo Toletano à Secretis fuit. Cuius etiam iuſſu Carolum V. Cæſarem in Tunetana expeditione ſecutus, in Africam tranſmiſit. In patriã valetudinis gratia reuerſus, à Georgio Egmundano Vltraiectino Præſule ad idem munus euocatur. Is tum forte in D. Amãdi apud Hannones Fano, cuius loci Abbas erat, agebat: quò profectus SECVNDVS mox in febrim incidit, quartoque quàm aduenerat die, flos ille Belgicus, nõdum annorum quinque & viginti, occidit: ſummus haud dubiè futurus, qua erat ingenij præſtantia, ſi & vita longior contigiſſet, & caſtũ piũmque ſtilum, impuris valere iuſsis, exercuiſſet. At iuuenili calori, ac iudicij imbecillitati, in lubrico ætatis flexu, venia fortaſſe danda, qui ad pia ac ſeria, Nicolai fratris exemplo, animum grandior cõuertiſſet. Defunctum Næniis, quæ exſtãt, fratres proſecuti ſunt, breuique hoc Epigrammate Andr. Alciatus IC.

NOmen perpetuum vita breuiore rependunt,
Elyſiiſq; addunt te tua ſata locis;
Vincere ne veteres poſſis, magnoſq; Poëtas,
Par quibus hoc modico tempore factus eras.
Flent Muſæ & Charites, lacrymas quoque fundit Apollo,
Et tua deſerto buſta Helicone colunt.

Condi-

Conditus eſt in Æde ſatra D. Amandi Benedictinorum Abbatiæ, tumulo marmoreo à tribus fratribus, totidemque ſororibus excitato, Latina iſta, præter Gallicam ſententiæ eiuſdem, addita inſcriptione.

IOANNI HAGENSI
SECRETARIO REVERENDISS. DOMINI
TRAIECTENSIS ET ABBATIAE HVIVS
PRAELATI FRATRES ET SORORES
POSVERE.
OBIIT A. CIↃ. IↃXXXVI. VIII. KAL. OCTOB.

Nicolaus Grudius.

DISSIMILI prorſus genio ac moribus à Ioanne Secundo poëticam NICOLAVS tractauit, GRVDIVS hinc dictus, quòd Louanienſi cælo natus eſſet. Sacra enim pleraque verſibus pangebat, iis horis quibus à publicis negotiis, ac ciuilis Iuris ſtudio feriari ac veluti reſpirare liceret. Quo nomine Gerardo Grouſbecio Cardinali Eburonum Principi, cui & *Hymnos, Odas*, ceteraque pia ſua poëmata inſcripſit, longè gratiſſimus extitit. Pòſt Philippo II. Hiſpaniarũ Regi Belgicæque Principi à Conſiliis, atque illuſtri Ordini Velleris aurei ab Actis fuit. Claris pleriſque ea tempeſtate viris, in his Achille Statio Luſitano, Ioan. Chriſtophoro Calueto Stella Barcinonenſe, Honorato Ianio Valentino, viro doctiſsimo, pòſt Epiſcopo, familiariter vtebatur.

Quin & à M. Hieronymo Vida Cremonēſi Albæ Liguſticæ Epiſcopo, Poëtarum ſui æui coryphæo, abſens litteris colebatur. Demū in Italiam Reipub. cauſſa profectus, Venetiis fato fungitur CIↃ.IↃLXXI. Senatus Populuſque Venetus ad aram conditum, lachrymis exterum atq; eruditum hominem ſunt proſecuti. Nos hoc illi Epigramma luſimus.

QVæ NICOLAE *canis raris tentata Poëtis,*
Dum cythara Aonidas ſub pia templa vocas;
Illa pio placuiſſe VIDÆ, *non infima laus eſt:*
Illa ſtare æternum, gloria maior erit.

Hadrianus Marius.

MARIVS Geldriæ Zutphaniæque Cancellarius, à negotiorum curis ad Muſarum hortos non rarò diuertere ſolitus, præter *Dialogos Luciani* metro redditos, eiuſdem *de vitanda calumnia Libellum* proſſa oratione conuertit. Senex moritur Bruxellis XII. Kal. Apri. CIↃ.IↃLXVIII. vel hoc nomine felix, quòd Guilielmus Cripius eiuſdem deditus ſtudiis eius magiſtratum exceperit. Corpus Machliniam tranſlatum eſt, conditumque honorificè ad tumulos parentis & fratris in D. Mariæ.

Ioan-

Ioannes Latomus.

PAREM IOANNI LATOMO, quam viris doctrina illuſtribus, à Paullo Iouio Nucerino Epiſcopo celebratis, gratiam præſtitit, quidni referam? Hic Bergis ad Zomam fl. apud Brabantos natus, Thronianis iuxta Herentaliam Canonicis Auguſtinianis Cœnobiarcha multos annos cum laude præfuit. Cumque ad poëſin quaſi natus videretur, *Pſalterium* verſibus & ipſe, vt alter Iac. Latomus, reddidit, ſed difficultate temporum præpeditus non euulgauit. Inter varia puri & candidi ſermonis Latini Poëmata, iis quę ad *Iouiana* luſit *Elogia*, immortalem ſibi gloriam peperit, vt qui vnà cum Iouio viuere in ſingulis videatur. Romam negotiorum ſui Ordinis cauſſa profectus, indeq; reuerſus Antuerpiæ moritur VII. Kalend. Sextil. CIↃ.IↃLXXVIII. atque in Cœnobio ſacrarum Virginum Facuntinarum humo mádatur. Iacet autem mutus ſine Elogio ac titulo, qui tamen lucem tam multis viris ſuo ſtilo attulit. Accidit idem Pompeio Magno olim, & patrum memoria Paullo Manutio, qui vitam plurimis, edito Epiſtolarum volumine, ipſiſque adeò Ciceroni à ſe illuſtrato dederat. Amici ſui funus hoc carmine proſecutus eſt amicus noſter Nic. Oudartus IC.

FLent Charites Latomum, flent Muſæ, Phœbus & ipſe
A gemitu lacrymas continuiſſe nequit.
Quin ſacra Relligio tam cari funus amici
Non potis eſt ſiccis concomitare genis.
At vos, Elogiis quos demeruit ſibi, Docti
Perpetuò LATOMVM *concelebrate viri.*

Nos Honoratum Faſitellum imitati ſic ludebamus.

NÆ debent IOVIO *elegantiarum*
Parenti artibus omnibus politi!
Næ debent LATOMO *viri elegantes*
Bonis artibus omnibus polito!
Nec viui modò, qui fruuntur aura,
Sed quos vrna etiam tenet ſepultos.
Nam fecit IOVIVS *ſuis tabellis,*
Effecit LATOMVS *ſuiſque metris,*
Leti funera non timere viuos,
Vitam viuere mortuos perennem.

Lucas

Lucas Fruterius.

FLANDROS nunc duos, LVCAM FRVTERIVM Brugẽſem, & VICTOREM GISELINVM Sanfordanũ producamus. FRVTERIVS certè, ſi Cl. V. I. Lipſij iudicio ſtamus, inter prima Belgij noſtri ingenia fuit. *Veriſimilium eius Libri II. Verſuſque miſcelli* à funere typis Plantinianis editi id comprobant: quæ ſcripta, quamquam adfecta potius, quàm confecta ſint (mors enim interuenit, & limam omnem abrupit:) tamen facilè adoleſcentis ingenium iudiciumque indicant. Stilus electus, reconditè elegans, rerum varia cognitio, notarum ſubtilitas, cenſuræ maturum quoddam iudicium, & ante omnia neſcio quid altum & ingenuum, quod ſpirat in eius ſcriptis, quodque animum legenti obiicit non plebeium. Magnus illi cum Ræuardo, Gentioque vſus fuit; quibuſcum Bibliothecas non rarò ſolitus excutere, *Iulij Seueriani Syntomata Rhetorices* primus in lucem protraxit. Veteres etiam poëtas, quos in delitiis habuit, atque in his *Lucretium* potiſsimùm, *Notis* illuſtrauit, quibus non parum adiuti ſunt, qui poſt Lambinum eum auctorem edolarunt. Lutetiæ Pariſiorum pilæ luſu a Galeno apprimè commendato, valetudinis cauſſâ, ſe oblectans,

cum frigidam incaleſcens temerè hauſiſſet, morbo ante diem, prô dolor, exſtinctus, ſpes omnes quas concitauerat, abrupit. Tumulum Victor Giſelinus amico poſuit.

Viator aſta, & , ſi vacat, lege paucula,
Multa vt reſciſcas. Tumulus iſte Gratiis,
Nouem & ſororibus ſacratus FRVTERIVM
Tegit, illum amorem Gratiarum amabilem,
Nouem & ſororum. Brugis ipſum nobili
Beauit ortu. Ganda facilem vim ingenI
Dedit artibus madere liberalibus.
Louanium & Lutetia vſque in vltima
Antiquitatis intima penetralia
Subire, & inde, quæ viri doctiſſimi
Quique adprobarent, arte ſumma expromere.
His tam auſpicatis initiis fata impia,
Fata impia, inquam, inuiderunt. illa iuueni
Quinctum ante luſtrum fila ſecuêre aurea.
Quid obſtupeſcis? an nouum aut mirum id tibi?
Fuit poëta. Sic ſuis lumina oculis
Reliquit olim VALERIVS, *ſic memoria*
Noſtra SECVNDVS. *taceo ceteros, abi.*

Victor

Victor Giſelinus.

PAR & huic obſequium pro iuſtis amico perſolutis reddamus. Fuit is Cl. V. Iuſto Lipſio perfamiliaris, ſociúſque peregrinationum, vt & Dolæ Sequanorum laurea Medica inſignitũ panegyrica oratione publicè laudarit. Quem etiam in Saturnalibus ſermonibus loquentem, vt egregiè litteratum, induxit. Nam præter poëmata varia, ſcripſit eruditas ad Prudentium poëtam Chriſtianum *Notationes*; *Adagia* item, poſt Centuriatores Batavos duos, tertio pedatu ſepoſuit. Ducta Brugis vxore, qua cum familiæ curas partiretur, medicinam Bergis S. VVinnoci, honorario publico dotatus, factitauit; atque in amicitia Io. MouflinI Abbatis, viri omnis antiquitatis atque elegantiæ amantiſsimi, acquieuit. Mortis horam ex artis medicæ prognoſticis prænuncians, nulla prole relicta, in flore ætatis ibidem abripitur, & à mœſta coniuge honeſto tumulo conditur.

BeyrlinchI.

CVm nato certat Latonæ maſcula proles,
Vult vbi VICTOREM *quilibet eſſe ſuum.*
Phœbus ait meus eſt; meus eſt, Epidaurius inquit,
Certant; VICTOREM *vincit acerba quies.*

Iacobus Latomus Iunior.

PSALMOS apud Hebræos numeris decurrere auctor eſt Hieronymus, vt & Iobi pleraque & Hieremiæ Threnos. Illos noſtra parentumque memoria verſibus plurimi non infeliciter, Paraphraſis in modum, colligarunt. Neque in hac parte Belgæ noſtri ceteris nationibus inferiores exſtiterunt. Mitto Petr. Nannium, & N. Belvaletium, & Io. Bochium. LATOMVS noſter Elegiaco carmine *tres* ipſos *Pſalmorum Libros* integros, cum *Threnis* & *Canticis* felici carmine reddidit; vt patruo ſuo illo IACOBO LATOMO Theologo (cuius & ſcripta omnia vno volumine edenda Louanij typis Barth. Grauij curauit) non indignus cognatus fuerit, & heres. Ad D. Petri Canonicus apud Grudios, piuſque Sacerdos ad decrepitam vſque ætatem perpetuò hilaris vixit, obiitque IV. Kal. Auguſti CIↃ. IↃXCVI. Conditus eſt eadem in Æde ad patrui ſui tumulum, vbi verſus iſtos in vtriuſque effigiem me legere memini.

LEctor in hac gemina miraris imagine vultus,
Miraris LATOMVM *cumq; minore ſenem.*
Hic primus fidei ſubiecit terga ruenti,
Conuellens fraudes dire Luthere tuas.
Alter ab ingenio ſtudiorum læta ſecutus,
Contulit in faciles plurima ſacra modos.

An-

Andreas Papius

CORNELIAM Læuini Torrentij ſororem matrem habuit. A pueritia liberalibus ſtudijs deditus, atque ab auunculo, Coloniȩ in Vbiis primùm, pòſt Louanij, vnà cum Ioanne Liuineio, in ſtudiis liberaliter habitus, Græcis ac Latinis litteris ſedulâ operam poſuit. Quibus litteris breui ſic vterque excelluit, vt acerrimi vir iudicij Carolus Langius de iuuenibus etiamnum prædicaret, vix reperire quod diſcerent. PAPIVS poëticæ potiſsimùm, auunculi exemplo, addictus, cùm Vergilium ad vnguem teneret, feliciterque exprimeret, Muſicam quoq; artem tamquam altera ex parte reſpondentem adiunxit, vt vtra laude excelluerit magis, reliquerit incertũ. Teſtantur poëmatia *Muſæus de amore Erus & Leandri, & Dionyſius Alexandrinus de Orbis ſitu* ab adoleſcente de Græcis totidem verſibus Latini facti; *Déque Muſicis Harmoniis Libri duo.* Pòſt Iuris ciuilis ſtudio Louanij animum applicuit, vſus Doctoribus I. VVameſio & Ph. Sverio clariſsimis viris. Leodicum ab auunculo euocatus, dum ſummis Caniculæ ardoribus, non, vt Leander, libidinis, ſed æſtus temperandi gratia, Moſæ,

Quod per amœnam vrbem leni fluit agmine flumen,

ſe committit, natando periit; ſummus haud dubiè futurus, niſi communi cum Leandro (quem apud Muſæum natantem carmine luſerat) mortis genere ante diem foret exſtinctus.

Nic.

Nic. Oudarti.

DVm parat Erneſto ſolemnes Principi honores,
Signàque lætitiæ vult dare Moſa ſuæ.
Ad ſe finitimos properatim conuocat amnes,
Naiadum celebres inſtituitque choros.
Sed præcentoris qui poſſet munere fungi,
Et cytharam voci iungere, nullus erat.
Ergo melliflua captus modulamine vocis,
Et tam concinnè plectra mouente manu:
Munus ad hoc PAPIVM *rapuit; raptóque choreæ*
Protinus arbitrium detulit omne ſacræ.
Sicque adeò PAPIVS, *liquidis exceptus ab vndis,*
Mortalis vitæ muniá deſtituit.

Dominicus Lampſonius.

SIMONIDES, cum Venuſino Poëta, rectè vidit Picturam ac Poëſin tam arcto inter ſe vinculo colligari, vt altera ex altera apta eſſe videatur. Vt enim Poëſis loquens quædam pictura; ſic & hæc, cuius inuentorem Ariſtodemum Philoſtratus Libro de imaginibus facit, viciſsim muta Poëſis eſt. Vtramque DOMINICVS LAMPSONIVS coniunxit, vt vtram magis artem coluerit, in incerto ſit. *Belgicos* enim *Pictores* claros Iconibus, verſibusque illuſtrauit. *Lambertum* item *Lombardum* Eburonem, quo in pingendi arte magiſtro

giſtro eſſet vſus, vita eius accuratè conſcripta, huius artis æmulis tãquam in ſpeculo exhibuit; vt Xenophon Dux ac Philoſophus præſtantiſſimus Cyrum tamquam boni Principis imaginem propoſuit. Quo quidẽ ingenij induſtriæque nomine LAMPSONIVS ampliſsimo Principi Erneſto Bauaro Vbiorum atque Eburonum Antiſtiti gratus, eidem à Secretis fuit. Senex Leodici in viuis eſſe deſiit, cum annos ferè tres amico ſuo Læuino Torrentio ſuperuixiſſet. Hubertus Audeiantius Brugenſis ciuem ſuum his verſibus celebrauit.

EST qui carmine, vultque penicillo
In præconia LAMPSONI *tua ire,*
Quod eſt, quodque fuit tui editurus:
At fruſtra. Neque ſit tibi poëta
Te præter, neque pictor aut Apelles;
Hic ipſus redeat licet, Maróque.

FINIS.

Omnia Rom. Eccleſiæ iudicio ſubmiſſa ſunto.

PRÆTERMISSA.

Tumulus Paulli Middelburgi Romæ ad S. Mariam animæ, Germanorum.

PAVLLO ANTISTITI FORO-SEMPRONIENS. A MIDDELBVRGO INSIGNI INFERIORIS GERMANIAE OPPIDO VIRO LIBERALIVM ARTIVM DISCIPLINIS PIETATE ANIMIQVE MODERATIONE LONGE OMNIBVS ANTEFERENDO
AB IVLIO II. ET LEONE X. PONT. MAX. AD PRAESIDEN. LATERANENS. CONCILIO ELECTO ET EVOCATO VITAE SVAE CVRRICVLO ANNOR. LXXXIX. IN GLORIA EXACTO RESTITVTAQ. DEO ROMAE INTER CEREMONIAS ECCLESIASTICAS DIVINA SVI PARTE
PETRVS VOERSTIVS EPISCOP. AQVENS. REFERENDARIVS ET S. ROTAE LOCVM TENENS ET FREDERICVS CLAVARIVS VTR. CENSVR. DOCTOR ET EQVES EXECVTORES POSS.
OBIIT XIX. KALEND. IANVARII A. SALVTIS M. D. XXXIV.

Epitaphium Ruardi Tapperi in Odeio D. Petri Louanij ad aram ſummam.

D. RVARDO TAPPER AB ENCHVSIA THEOLOGIAE PROFESSORI CELEBER. DECANO CANCELLARIO QVOD SVA INCOMPARABILI DOCTRINA AVCTORITATE HVNC CHORVM ANNIS XXIV. SCHOLAM XXXIX. REXERIT DOCVERIT QVOD SVPREMVS FIDEI

FIDEI INQVISITOR PATRIAM SECTIS PVRGARE SALVTARIBVS DOCTRINIS ETIAM LIBRIS AD HOC EDITIS COMPLERE STVDVERIT QVOD CATHOLICAM RELIGIONEM HAERESIBVS VEXATAM AD TRIDENT. CONCILIVM E BELGIO PRIMVS EVOCATVS CONSTANTER DEFENDERIT QVOD SVI TEMPORIS PONTIFICIB. CAROLO V. CAESARI PHILIPPO HISPANIARVM REGI NON IMMERITO CARISSIMVS FVERIT
MEMORIAE ERGO POSITVM.
OBIIT BRVXELLAE ANNO DO. CIↃ. IↃLIX. MARTII II. AETATIS VERO LXXI.
PAVPERIBVS OMNIVM BONORVM HEREDIBVS INSTITVTIS.
EIVS ANIMAE PACEM PRECEMVR.

Tumulus Henrici Grauij Romæ ad S. Mariam animæ, Germanorum.

D. O. M.

HENRICO GRAVIO EXIMIAE PROBITATIS SPECTATAEQ. ERVDITIONIS VIRO QVEM POST QVATVOR LVSTRORVM IN FLORENTISSIMA LOVANIENSI ACADEMIA S. TH. PVBLICAM PROFESSIONEM SIXTVS V. PONT. MAX. INSIGNIS ERVDITIONIS ERGO ROMAM EVOCAVIT
GREGORIVS XIV. IN PONTIFICIAM AVLAM EXCEPIT SED AMPLIORIBVS
DIGNVM HONORIBVS
CHRISTVS IN CAELVM EVEXIT
DIE II. APRILIS ANNO D. CIↃ. IↃXCI.
AETATIS SVAE LV.

IN-

INDEX ILLVSTRIVM BELGII SCRIPTORUM Alphabeti ſerie.

A.

ABrahamus Ortelius. pag. 184
Adamus Saſboldus. 82
AEgidius Faber. 77
Alardus Amſtelredamus. 127
Albertus Pighius. 54
Andreas Maſius. 160
Andreas Papius. 203
Andreas Veſalius. 109
Antonius Houæus. 189
Antonius Perenottus Card. Granuellanus. 12
Augerius Giſlenus Buſbequius. 179
Auguſtinus Hunnæus. 132

B.

BOëtius Epo. 106

C.

CArolus Fernandus. 142
Carolus Langius. 161

Chriſtia-

Chriſtianus Maſſæus. 174
Chriſtophorus Longolius. 134
Conrardus Goclenius. 149
Cornelius Crocus. 129
Cornelius Gemma. 112
Cornelius Ianſenius. 20
Cornelius Muſius. 189
Cornelius Valerius. 153
Cunerus Petrus. 26

D.

Deſiderius Eraſmus. 147
Dionyſius Carthuſianus. 68
Dominicus Lampſonius. 204

E.

Everardus Nicolaïus, & liberi 88

F.

Franciſcus Balduinus. 94
Franciſcus Craneveldius. 99
Franciſcus Richardotus. 24
Franciſcus Sonnius. 14
Franciſcus Titelmannus. 80

G.

Gemma Friſius. 110
Georgius Macropedius. 173
Gerardus Matthiſius. 60
Godſcalcus Roſemundus. 57
Guilielmus Canterus. 155
Guilielmus Lindanus. 21

H.

HAdrianus Barlandus. 170
Hadrianus Marius. 196
Hadrianus VI. Pont. Max. 9
Henricus à Gandauo. 52
Henricus Grauius. 58
Hermannus Cruſerius. 119
Hieremias Trinerus. 112

I.

IAcobus Hochſtratanus. 78
Iacobus Latomus Senior. 40
Iacobus Latomus Iunior. 202
Iacobus Meyerus. 172
Iacobus Pamelius. 29
Iacobus Rævardus. 104
Ioachimus Hopperus. 92
Ioannes Beuerus. 131
Ioannes Campenſis. 158
Ioannes Deſpauterius. 144
Ioannes Driedo. 36
Ioannes Garetius. 74
Ioannes Goropius Becanus. 116
Ioannes Heſſelius. 43
Ioannes Latomus. 917
Ioannes Lenſæus. 49
Ioannes Leonardus Haſſelius. 41
Ioannes Liuineius. 163
Ioannes Molanus. 45
Ioannes Murmellius. 192
Ioannes Rubus. 133
Ioannes Secundus. 193
Ioannes Stadius. 123

Ioan-

Ioannes Stannifex. 131
Ioannes Teiſnerus. 121
Ioannes Vaſæus. 176
Ioannes VVameſius. 102
Iudocus Badius. 144
Iudocus Clichtouæus. 53
Iudocus Damhouderius. 100
Iudocus Raueſtenius. 44

L.

LAmbertus Hortenſius. 177
Læuinus Lemnius. 113
Læuinus Torrentius. 17
Lucas Fruterius. 199
Ludouicus Bloſius. 66

M.

MArtinus Dorpius. 38
Martinus Duncanus. 64
Martinus Lipſius. 72
Matthæus Galenus. 60
Matthias Boſſemius. 62
Michaël Baius. 47

N.

NIcaſius Ellebodius. 122
Nicaſius Vordanus. 142
Nicolaus Bieſius. 114
Nicolaus Clenardus. 157
Nicolaus Euerardus, & liberi. 88
Nicolaus Grudius. 195

P.

PAulus Middelburgius. 28
Perſevaldus Belligenius. 142
Petrus Baccherius. 79

Petrus Caniſius. 84
Petrus Gallandius. 138
Petrus Nannius. 151
Petrus Peckius. 100
Philippus Cominæus. 167

R.

R*Einerus Snoyus.* 63
Robertus Gaguinus. 169
Ruardus Tapperus. 34
Rudolphus Agricola. 126
Rutgerus Reſcius. 158

S.

S*Vffridus Petrus.* 182

T.

T*Homas à Kempis.* 70

V.

V*Ictor Giſelinus.* 201
Viglius Zuichemus. 90

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ANTVERPIÆ

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA DANIELIS VERVLIET.

ANNO 1602.

HÆC Elogia Belgica R. D. AVBERTI MIRÆI Canonici & Catechiſtæ Antverpiẽſis, nihil orthodoxæ Fidei contrarium continent, ſed multum ſplendoris adferũt iis, qui doctrina illuſtres viros ſcriptis ſuis adhuc viuere exiſtimant, quorum exemplo prouocati vitam & mores inſtruunt, vt quod ab his prædeceſſoribus didicerunt, in Catholica Fide poſteris ſuis relinquant. Digna igitur iudico, quę in lucem prodeant, vt aucta tandem numero compleantur. 18. Octob. 1601.

Egbertus Spitholdius Plebanus & Canonicus Antuerpienſis.

Digitized by Google

PRIVILEGIVM.

SEreniſs. Archiducis ALBERTI Brabantię Ducis &c. priuilegio cautum eſt, ne quis *Auberti Le Mire* Canonici Antuerpienſis *Elogia Belgica*, ſiue *Illuſtrium Belgij Scriptorum, qui vel Eccleſiam Dei propugnarunt, vel diſciplinas illuſtrarunt, Elogia*, citra voluntatem auctoris, & Gaſparis Belleri, heredumque Io. Belleri intra ſexennium proximum excudat, aut alibi excuſa in ditiones haſce Belgicas importet, aut venalia habeat. Qui ſecus faxit, librorum confiſcatione, & graui pœna in Priuilegio, Bruxellæ XI. Decembr. CIↃ.IↃCI. dato, expreſſa mulctabitur.

Subſig.

Seruais.

MAMBOR
LEGATORE DI LIBRI
CORSO 32